

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, diversae extorsiones excessivae a dilectis filiis capitulo et canonicis secularis et collegiatae loci de Veglie, Brundusinae diocesis, necnon etiam a diversis parochis aliorum locorum fiant pro impediendâ libertate electionis sepulturae in ecclesiis Ordinis huiusmodi; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in praemissis remedio providere de benignitate apostolicâ dignemur.

§ 2. Nos igitur, dictum exponentem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationibus, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, Ordinariis locorum per praesentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abusus huiusmodi tolerentur, et decernant, ne parochi plus percipere possint in sepulturis quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis quae fiunt in propriis, seu aliorum clericorum non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 3 martii 1638, pontif. anno xv.

DC.

*Indulgentia plenaria ad divinam opem implorandam*¹.

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus, in Italiâ et adiacentibus ei insulis degentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Publicae quietis zelo ducti, licet pastoralis nostri muneri satisfacere cupientes catholicos principes multipliciter et accurate ad mutuam concordiam, etiam per nuncios nostros ordinarios et extraordinarios, hortati sumus, sperantes fore ut ipsi aliquam opportunam pacis inter se constituendae rationem inirent, eaque de causâ dilectum filium nostrum Martinum S. Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Ginettum nuncupatum, nostrum in almâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem, Coloniam Agrippinam nostrum et Sedis Apostolicae de latepe legatum transmiserimus, et divinum auxilium etiam publicis precibus imploraverimus, attamen (quod non sine animi nostri molestiâ referimus) usque adhuc omnis labor et studium impensum hoste humani generis zizania disseminante in vacuum cessit, nec Dominus complacitior apparet peccatis populorum divinam iracundiam irritantibus, diligit enim iustitiam et odit iniquitatem, sed misereri non obliviscitur. Ad communes igitur christiani populi poenitentis preces, ut Deus animis principum concitatis² optatam pacem largiri dignetur, denuo recurrendum duximus. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

² Edit. Main. legit *conciatis* (R. T.).

Exordium ab ipsa materia sumptum.

Concessio indulgentiae praescripta haec opera peragentibus.

§ 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam in reliquâ Italiâ et adiacentibus ei insulis constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram tranquillitatem donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui S. Ioannis Lateranensis, Principis apostolorum, S. Mariae Maioris et alias eiusdem Urbis ecclesias seu basilicas, in quibus, iuxta distributionem a dilecto filio nostro in Urbe praedictâ in spiritualibus provicario generali faciendam, sanctissimum Eucharistiae sacramentum publice exponetur, vel ecclesiarum huiusmodi alteram spatio duorum mensium a die datae praesentium computandorum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint; ceteris vero extra Urbem praedictam in reliquâ Italiâ et¹ adiacentibus ei insulis degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam

¹ Coniunct. et nos addimus (R. T.).

animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, designandas, in quibus pariter sanctissimum Eucharistiae sacramentum exponetur, vel ecclesiarum huiusmodi alteram spatio quindecim dierum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, et alios ut praefertur faciendae computandorum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ Communionem refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore aut parochiali loci eiusdem domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam religiosi secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ecclesiae seu ecclesiarum visitationem, et orationem, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, etiam ex aliâ approbata ab Ordinariis locorum, eis in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

§ 3. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti in Urbe praedictâ ac re-

Impediti quid praestare debeant ad indulgentiam consequendam.

Indultum eligendi confessarium, cui nonnullae facultates conceduntur.

liqua Italia, ut praefertur, degentibus, qui ecclesias praedictas, seu earum alteram, novies continuis seu interpolatis diebus intra dictorum duorum mensium et respective quindecim dierum spatium visitaverint, et inibi, ut supra, oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato alicuius hebdomadae intra dictum temporis spatium decurrendae ieiunaverint, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, etiam ex aliis approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliis per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum (non tamen a crimine haeresis) absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

§ 4. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis ac quibuscumque Ordinariis locorum, in Italia et adiacentibus ei insulis existentibus, eorumque vi-

cariis et officialibus, vel, eis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

§ 5. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictorum duorum mensium et respective quindecim dierum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum vel facultatum huiusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationi-

Causae, qui excipiuntur.

Obstantium derogatio.

bus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 7. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 3 martii 1638, pontif. anno xv.

DCI.

Quod abbates monasteriorum pauperiorum Congregationis Montis Oliveti de licentiâ procuratoris generalis possint imponere unum seu plures census pro sublevandis indigentibus eorumdem.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

In iis praecipue sollicitudinis nostrae partes libenter interponimus, per quae re-

1 De hac materia vide Const. *Exponi nobis* huius Pontificis, ut supra pag. 593.

gularium personarum necessitatibus commodiori, qua fieri potest, ratione succurratur, cum non modo pastorale nostrum munus a nobis id exposcat, sed ad hoc etiam paternus amor, quo illas diligimus, nos inducat.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Congregationis Montis Oliveti procurator generalis, quamplurima dictae Congregationis monasteria, tum propter steriles quorundam annorum messes, aliasque calamitates, ad eam devenerint egestatem, adeoque aere alieno gravata existant, ut illorum Ordinarii redditus et proventus ipsius aeris alieni interusurio persolvendo necnon camerae apostolicae oneribus aliisque sibi incumbentibus oneribus supportandis non sufficientiant: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut super praemissis aliquâ ratione providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos, monasteriorum huiusmodi indigentibus paternâ pietate prospicere, illorumque superiores et monachos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§ 3. Quod monasteriorum pauperiorum dictae Congregationis abbates et superiores, de abbatis seu procuratoris generalium eiusdem Ordinis licentiâ et assensu, unum seu plures census annuos usque ad pecuniarum summas, quas ipsi abbas seu procurator generalis huiusmodi illis necessarias esse iudicaverint, in sorte prin-

Motiva.

Concedit pro- ut in rubrica.

cipali ascendentes, ad rationem quinque pro centenario, super suorum monasteriorum bonis imponere, illosque aliis ditioribus dicti Ordinis monasteriis tantum alienare, seque et dicta monasteria sive illorum bona ad solutionem censuum sic imponendorum et alienandorum faciendam obligare, monasteria vero ditiora huiusmodi pauperioribus monasteriis praedictis pecuniarum summas eis necessarias ad census seu pro censibus huiusmodi concedere, censusque praedictos sibi, ut praefertur, vendendos et assignandos recipere, ac instrumenta desuper necessaria et opportuna celebrare respective libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, dictisque abbati seu procuratori generalibus monasteriis praedictis¹ ad pecuniarum summas illis necessarias, ut praefertur, concedendas cogendi et compellendi plenam, auctoritate et tenore praefatis, tribuimus facultatem.

Decretum irritans.
§ 4. Decernentes praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, pauperioribus vero monasteriis praedictis plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.
§ 5. Quocirca omnibus et singulis locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus

¹ Aptius forsitan legeretur *monasteria praedicta nempe ditiora* (R. T.).

fuert, et quoties pro parte abbatis seu procuratoris generalium, monasteriorumque dictae Congregationis, illorumque superiorum, et seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eadem praesentes, ac omnia in eis contenta, ab omnibus quos illa concernunt integre et inviolabiliter observari.

Transgressores puniri mandat.
§ 6. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.
§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, illiusque monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.
§ 8. Volumus autem, quod census huiusmodi, sic ut praefertur imponendi, quanto citius fieri poterit, extinguantur: quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem

prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII aprilis MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 12 aprilis 1638, pontif. anno xv.

DCII.

Confirmatio decreti R. C. A. super pretio aluminum Status Ecclesiastici¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio appellatorum aluminum Status Ecclesiastici ad eorum pretium augendum.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum appellatorum generalium alumeriarum Status Ecclesiastici et eorum subappaltatoris in civitate nostrâ Bononiensi nobis expositum fuit, quod, vertente inter ipsos ex unâ ac dilectos filios tintores et pelliones dictae civitatis aliosque consortes ex alterâ partibus lite super pretio aluminum, fuit in plenâ nostrâ camerâ apostolicâ per dilectos filios eiusdem camerae praesidentes clericos et alios camerales resolutum, pretium aluminum huiusmodi esse augendum usque ad baioccos sex, quando venditur minutatim; quando vero venditur, ut vulgo dicitur *all'ingrosso*, ad baioccos quinque cum dimidio, et aliâs, prout in dictâ resolutione et instrumento publico desuper confecto plenius dicitur contineri.

Petit confirmatio resolutionis super hoc emanatae a camerae clericis praesidentibus.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes resolutionem huiusmodi, quo firmiter subsistat et inviolabiliter observetur, apostolicae confirmationis robore communiri et aliâs desuper opportune provideri summopere desiderent:

Pontifex eandem confirmat.

§ 3. Nos, eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ip-

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

sosque specialibus favoribus et gratiis prosecui volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictam praesidentium clericorum et aliorum camerales huiusmodi resolutionem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, omnesque lites super praemissis motas ac appellationes, si quae sint interpositae, status et merita illarum, causasque et occasiones, ac personas et iura partium, nominaque et cognomina iudicum et litigantium, necnon controversiarum praedictarum qualitates et circumstantias, etiamsi specialem et individuum expressionem requirerent, praesentibus pro expressis et insertis habentes, extinguimus et abolemus, ac tam praedictis quam omnibus et quibuscumque aliis iudicibus ordinariis et delegatis, quacumque auctoritate fungentibus, etiam causarum nostri sacri palatii apostolici auditoribus et S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, necnon tintoribus et aliis litis huiusmodi consortibus, perpetuum silentium desuper imponimus et impositum esse volumus.

Clausulas apponit.
§ 4. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore, etiam ex eo quod aliqui etiam speciali notâ digni in praemissis interesse habentes aut habere praetendentes ad hoc vocati seu auditi non fuerint, nec desuper consenserint, aut ex

aliâ quavis causâ vel praetextu, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, vel retractari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, aut concedi posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari et adimpleri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, dictaeque camerae praesidentes clericos et alios officiales, ac etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviii aprilis mdcxxxviii, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 18 aprilis 1638, pontif. anno xv.

Privilegium pro Congregatione Cassinensi contra appellantes et ambientes¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliâs a felicitis recordationis Gregorio Papae XIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequens, videlicet:

Litterae Gregorii XIII.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam. Nihil in unaquaque religiosa familiâ, etc.²

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae Congregationis nobis nuper exponi fecit, ipse praeinsertas litteras per nos confirmari, necnon praeceptum, quod in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenâ in huiusmodi litteris fit praelatis, qui pro tempore regimini dictae Congregationis deputati erunt, ne monachos ad alias³ praelaturas, dignitates, gradus, administrationes et alia ipsius Congregationis officia precibus, litteris vel favoribus principum, vel praelatorum extra gremium dictae Congregationis existentium adducti promovere praesumant, ad alios quosque et singulos abbates et superiores quorumcumque dictae Congregationis monasteriorum, qui praedictos monachos ad rectorias, vicariatus, administrationes et cuiusvis generis officia, tam spiritualia quam temporalia, ab eisdem monasteriis dependentia, precibus et favoribus huiusmodi, deputabunt, extendi, eosdemque monachos ad similes favores recurrentes eadem poenâ ligari summopere desideret:

§ 3. Nos, prospero, felicique dictae Congregationis gubernio et regimini peram-

¹ Plures summi Pontificis Congregationibus monachorum prohibuerunt dignitatum ambitum.

² Reliquum habes in tom. VIII, pag. 66 (R.T.).

³ Forsan legendum aliquas (R. T.).

plius consultum esse cupientes, ipsumque procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras dicti Gregorii praedecessoris, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, innovamus, necnon omnibus et singulis quorumcumque monasteriorum dictae Congregationis abbatibus et superioribus quomodolibet nuncupatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ praecipimus et mandamus, ne ad instantiam, preces et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra gremium dictae Congregationis consistentium, etiam cardinalatus honore et quacumque seculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali, imperiali fulgentium, quosvis dictae Congregationis monachos ad cuiusvis generis rectorias, vicariatus, administrationes et officia quaecumque, tam spiritualia quam temporalia, singulorum monasteriorum deputare praesumant, eosdemque dictae Congregationis monachos, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praecminentiae et litteraturae existant, et quacumque dignitate praefulgeant, qui tam ad praelaturas, dignitates, gradus et alia officia a praelatis pro tempore regimini dictae Congregationis deputatis assequenda, quam etiam ad rectorias, vicariatus, administrationes et alia officia

quaecumque, tam spiritualia quam temporalia, a praelatis et superioribus singulorum monasteriorum impetranda, ad praedictarum personarum principum et praelatorum de gremio dictae Congregationis non existentium favores, per se, vel interpositam personam, directe vel indirecte, occulte vel palam, aut aliâs quomodolibet recurrerint, vel ad praelaturas, dignitates, administrationes et alia huiusmodi dictae Congregationis et monasteriorum officia aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere conati fuerint, praedictas excommunicationis latae sententiae aliasque inhabilitatis et privationis poenas, in praesertis Gregorii praedecessoris litteris contra similia perpetrantes comminatas, eo ipso incurrere et incurrisse decernimus et declaramus.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in praesertis litteris idem Gregorius praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem harum litterarum nostrarum notitia ad omnes monasteriorum dictae Congregationis abbates, superiores et monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictae Congregationis capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto capitulo lectas sic arctare ac si legitime unicuique personaliter intimatae fuissent, illarumque exemplis impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo praesidentis ipsius Congregationis vel alterius in dignitate ecclesiasticâ constituti munitis, eandem prorsus fidem adhiberi, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xi maii mdcxxxviii, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 11 maii 1638, pontif. anno xv.

DCIV.

Quod provincia Romana fratrum Cappuccinorum subiiciatur generali, et in eius absentia procuratori generali eorumdem, eo modo quo ceterae provinciae¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Iniuncti nobis a Domino apostolici muneris ratio postulat, ut religiosorum virorum, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis se mancipaverunt, paternam curam gerentes, in his eiusdem muneris partes sedulo intendamus, per quae prospero felicitque eorum statui et directioni opportune consulatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Hinc est quod nos, quo difficultates, quae, ut accepimus, Ordini fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum aliquid molestiae adferunt, e medio tollantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ministrum provincialem provinciae Romanae dicti Ordinis, ipsamque provinciam, cum omnibus et singulis eius domibus locisque regularibus et conventibus, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus ministro generali et procuratori eiusdem Ordinis, dum hic vices ipsius ministri generalis sustinet commissariusque generalis appellatur et est (iis legibus, eoque modo quo ceterae provinciae ceterique ministri provinciales Ordinis huiusmodi, iuxta eius constitutiones apostolicam auctoritate confirmatas, subiectae et subiecti sunt), apostolicam auctoritate, tenore praesentium, subiicimus; ac praesentibus

¹ Istius Ordinis materiam habes in Const. XLVI, (al. 45) Gregorii XV, *Ex iniuncto*, tom. XII, pagina 647; et in Const. *Salvatoris* huius Pontificis, ut infra sub die 17 febr. 1640, tom. seq.

nostris litteris alias a nobis die XVI martii anno MDCXXVI emanatas minime obstare,² nosque per secundodictas litteras auctoritati commissarii generalis dicti Ordinis, cui minister provincialis Romanae provinciae praedictae, ipsaque provincia, more ceterarum provinciarum ceterorumque Ordinum, parere debent (eo maxime tempore, quo dictus minister generalis transmarinas et ultramarinas provincias incolit, invisitque), noluisse nec intendisse derogare declaramus.

§ 2. Mandantes propterea dilecto filio moderno et pro tempore existenti ministro provinciali, aliisque officialibus et fratribus dictae provinciae Romanae quomodolibet nuncupatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis et irregularitatis, depositionisque ab eorum officiis et muneribus, perpetuaeque privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae², aliisque, arbitrio dilecti filii nostri Antonii videlicet S. Petri ad Vincula presbyteri cardinalis S. Onuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani, moderni et pro tempore existentis Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, poenis, ut ministrum generalem, et procuratorem generalem dum vices ipsius ministri generalis sustinet, estque commissarius generalis praefatorum, in suos superiores recipiant et agnoscant, eorumque salubria monita et iussa suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, praedictis nostris litteris, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicam, vel quavis firmitate aliam roboratis, statutis et consuetudinibus, privile-

¹ Quas puto non esse in *Bullario* (R. T.).

² Potius lege *incurrendis* nempe poenis (R. T.).

Quod recognoscant superiores generales.

Contrariis derogat.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

giis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciae, ac ministro provinciali, aliisque fratribus praedictis, et¹ quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII maii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 13 maii 1638, pontif. anno XV.

DCV.

Quod sacerdos celebrans in altari cappellae sanctae Catharinae Senensis super Minervam pro anima alicuius defuncti liberet eam a poenis per modum suffragii. Conceditur praeterea indulgentia plenaria pro visitantibus dictam cappellam in eius die festo communionem refectis².

¹ Potius lege *sub* vel *cum* (R. T.).

² Plures summi Pontifices concesserunt similes indulgentias diversis regularibus.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius noster Antonius S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, Ordinis sancti Dominici apud nos et Sedem Apostolicam protector, pro eximia sua in Deum pietate, ac erga sanctam Catharinam Senensem dicti Ordinis devotione, cappellam olim cubiculum dictae sanctae Catharinae in Urbe existens, cum suis parietibus, incrustationibus et picturis antiquis in eo existentibus transferri ad ecclesiam Beatae Mariae super Minervam domus regularis dicti Ordinis de eadem Urbe et prope sacristiam dictae ecclesiae collocari curaverit,

§ 2. Nos, eandem cappellam spiritualibus indulgentiarum muneribus decorare volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut, quandocumque sacerdos aliquis secularis sive cuiusvis Ordinis regularis missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad altare dictae cappellae celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur,

§ 3. Itaut Domini Nostri Iesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Insuper mulieribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poenam, a qua non possint nisi a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo absolvi, ne cappellam praedictam ingredi audeant seu praesumant, praeterquam in die festo eiusdem sanctae Catharinae Senensis, quo die ma-

Causae huius Constitutionis.

Concedit prout in rubrica.

Prohibet mulieribus sub excommunicationis poenam ne cappellam ingrediantur.

res, eo devotionis causâ confluentes, sub eadem poenâ illam ingredi non possint, districtè prohibemus.

Indulgentiam plenariam elargitur eam visitantibus.

§ 4. Omnibus autem et singulis feminini sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem refectis, quae dictam cappellam die festo sanctae Catharinae praedicto a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; universis vero et singulis masculini sexus christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ eadem communione refectis, qui eandem cappellam in Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, ac Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis, necnon sancti Dominici festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote similiter visitaverint, et ibi, ut praedicatur, oraverint, etiam plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ceterum spirituali consolatione dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum nunc et pro tempore existentium nobilis et antiquae domus et familiae nostrae Barberinae consulere volentes, eisdem mulieribus nunc et pro tempore existentibus, ut, unâ cum aliis mulieribus eas comitantibus ac cum suis matronis et ancillis, praedictam cappellam ultimo dictis quatuor festis diebus absque ullius poenae propterea incursu ingredi, eisdemque mulieribus etiam comitantibus ac matronis et ancillis vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem refectis, quae cappellam huiusmodi ultimo dictis quatuor festis diebus, ut praedicatur, visitaverint et ibi ut supra oraverint, quod eandem indulgentiam plenariam et remis-

Familiae Barberinae pecuniam indulgentiam concedit.

sionem consequantur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxii maii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 22 maii 1638, pontif. anno xv.

DCVI.

Dotatio ecclesiae Babiloniensis in Persia¹.

**Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Super universas orbis ecclesias, eo disponente qui cunctis imperat et cui obediunt omnia, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae ecclesiae praedictae, praesertim cathedrales, sub infidelium potestate existentes, competentibus redditibus pro illarum oneribus supportandis, et congruâ eorum praesulum sustentatione communiri valeant, ut illis praeficiendi eo alacrius iugum Domini et ecclesiarum huiusmodi curam et regimen suscipiant cum se etiam temporalibus ad id auxiliis suffultos senserint, libenter intendimus, et christifidelium facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii patris affectu promovemus, specialibusque favoribus et gratiis confovemus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quaedam mulier, natione Galla, pio catholicae fidei propagandae zelo ducta, e bonis sibi ab Altissimo elargitis sex millia duplarum Hispanicarum ad Urbem transmissa alicui ex ecclesiis sub infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designandae pro ecclesiae huiusmodi dote et congruâ illius praesulis sustentatione per nos perpetuo applicari desideret:

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Contrariis derogat.

Prooemium.

Pia faemina quaedam pecuniae summam donat pro erigendo episcopatu in partibus infidelium.

Pontifex ecclesiae Babiloniensi addicit.

§ 2. Nos, pium eiusdem mulieris desiderium plurimum in Domino commendantes, ipsamque specialibus favoribus et et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutam fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, dicta sex duplarum Hispanicarum millia, in tot locis montium Urbis praedictae non vacabilia ut infra investienda, ecclesiae Bagdatensi seu Babiloniensi in Persia ad praesens pastoris solatio, ut pariter accepimus, destitutae, pro illius dote et pro tempore futuri episcopi Bagdatensis seu Babiloniensis, qui quidem in Gallia natus esse debeat, et apud ecclesiam huiusmodi personaliter residere sub poenis a sacro Concilio Tridentino contra episcopos non residentes inflictis et comminatis omnino teneatur, sustentatione, ita ut liceat ipsi episcopo dictarum sex millium duplarum Hispanicarum sive locorum montium inde emendorum fructus, redditus et proventus, aliaque emolumenta quaecumque inde quomodolibet provenientia, percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere nullius licentiâ desuper requisitâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus.

Cum reservatione sibi et Romano Pontifici iuris nominandi ad illam, excerpta tamen prima vice, pro qua nominare debeat ipsa doatrix.

§ 3. Insuper eidem mulieri pro hac vice dumtaxat, deinceps autem perpetuis futuris temporibus, quoties quaecumque et quomodocumque dictam ecclesiam Bagdatensem sive Babiloniensem vacare contigerit, venerabilibus fratribus nostris praedictis ius nominandi in eorum congregatione coram nobis et pro tempore

existente Romano Pontifice habendâ ad eandem ecclesiam personam idoneam, quae tamen in Gallia et non alibi nata semper esse debeat, ut praefertur, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem in episcopum dictae ecclesiae, ad nominationem huiusmodi, instituendam auctoritate et tenore praedictis reservamus et concedimus.

§ 4. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut dicta sex duplarum Hispanicarum millia in tot locis montium cameralium seu communitatum non vacabilium de Urbe praedictâ ad dictum effectum investiantur, ac in eventum illorum extractionis, sive extinctionis, toties quoties id fieri contigerit, pecuniae inde provenientes in alia loca montium similiter cameralium sive communitatum

Clausulas appoint.

Derogat obstantibus.

Praescribitur modus dictam summam in tot loca montium investiendi.

non vacabilium de eadem Urbe investiantur et investiri debeant; et interim, donec investitio huiusmodi fiat, eadem pecuniae penes Montem Pietatis dictae Urbis dependantur inde non amovendae nisi ad effectum illas ut praefertur investiendi, ita ut dicta sex duplarum Hispanicarum millia et loca montium ex illis emenda, ac alii quicumque fructus, redditus et emolumenta inde provenientia, integre semper et perpetuo pro dictae ecclesiae dote illiusque episcopi congruâ sustentatione remaneant, nec in alios usus quovis praetextu aut ex quavis causâ converti possint;

Ecclesiam et episcopum subdit iurisdictioni Congregationis Propagandae Fidei.

§ 7. Quodque dictus episcopatus Bagdatensis, sive Babiloniensis, et illius pro tempore existens episcopus sint immediate sub protectione dictorum venerabilium fratrum nostrorum, ita tamen ut illi neque circa episcopatum huiusmodi, neque circa dotem eius, aut illius redditus, neque circa episcopum pro tempore existentem possint aliquid facere nisi in eorum congregatione coram nobis et nostris successoribus Romanis Pontificibus habendâ.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi iunii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 6 iunii 1638, pontif. anno xv.

DCVII.

Absolvit novem portionarios ecclesiae Caesaraugustanae a censuris, in quas incurrerant ob praetensos recursus eorum nomine factos ad iudices laicos in causâ inter ipsos et capitulum dictae ecclesiae vertente super distributionibus¹.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio magistro Ioanni Baptistae Cocino, causarum sacri palatii auditori decano,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Cluae et Dominici Adam, Martini Ioannis Salazar, Antonii Predas senioris, Antonii Rosell, Martini Sanchez, Dominici Roso, Francisci Lallana et Gregorii Escobedi portionariorum ecclesiae Caesaraugustanae nobis expositum fuit, quod in litteris secularizationis dictae ecclesiae fuerunt cuilibet illius portionario et beneficiato inservienti praeservatae quotidianae distributiones illis pro ratâ eorum servitii solvendae; quas distributiones postea per particulare eiusdem ecclesiae statutum apostolicâ auctoritate confirmatum debere ascendere ad tria regalia monetae illarum partium qualibet die pro horis divinis declaratum fuit; subinde per capitulum et canonicos dictae ecclesiae eiusdem portionariis distributiones huiusmodi in praefatâ quantitate praestitae fuerunt, et rota desuper eisdem portionariis mandata de manutenendo concessit. Cum autem dictis capitulo et canonicis intimatum fuisset mandatum ultimo loco expeditum et contra eos mandato huiusmodi non parentes interdictum et declaratoria peteretur, ipsi capitulum et canonici, ad differendum partitionem huiusmodi, opposuerunt praefatos exponentes habuisse recursus ad iudices laicos, sub praetextu, quod olim, unâ seu pluribus vicibus, coniunctim vel divisim, per procuratorem seu procuratores suos, coram seu ab eisdem iudicibus laicis petierunt mandari praefatis capitulo et canonicis, ut dictos exponentes in pacificâ et quietâ possessione percipiendi respective distributiones, seu fructus suarum praebendarum, ac quasdam mensuras sive portiones vini,

Expositio portionariorum ecclesiae Caesaraugustanae.

aliaque emolumenta iuxta pristinum usum, et consuetudinem dictae ecclesiae manutenerent, et propterea eosdem exponentes in censuras ecclesiasticas incurrisse et a limine iudicii repellendos esse.

Neonem etiam petitio absolutiois a censuris, si quam incurrerint.

§ 2. Cum autem, sicut expositio subiungebat, licet dicti exponentes existiment se nullatenus in censuras ecclesiasticas propterea incidisse, nec umquam senserint debere ab aliquo geri eorum nomine quidquam illiciti, minusve intendant uti gestis ab assertis procuratoribus praedictis, imo nec ea quidquam immunitati vel libertati ecclesiasticae praedictae continere videantur, nihilominus iidem exponentes ad omnem scrupulum e medio tollendum, ac ut ipsi tutius iura sua promovere valeant, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de opportuno circa praemissa absolutionis beneficio providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Facultas sacrae Rotae decano eos absolventi.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constituto tibi legitime de praemissis eosdem exponentes et eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum singulis, arbitrio tuo, aliquâ poenitentia salutari, renunciatoque prius per eos praedictis et quibuscumque aliis praetensis recursibus et attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis quandocumque et quomodocumque factis, a quibuslibet censuris et poenis ecclesiasticis quomodolibet forsâ per eos incurris, ad caute-

lam, coniunctim vel divisim, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter libereres, dictasque poenas illis et eorum singulis gratiose remittas et condones.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ii iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 2 iulii 1638, pontif. anno xv.

DCVIII.

Irritatio actuum factorum, tam per ministros regios Portugalliae et iudices, quam per ministros Sanctae Sedis, super bonis, cappellis vulgo nuncupatis, ecclesiarum et locorum piorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum contra iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam et iura Sedis Apostolicae¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Quamvis, iuxta canonicas sanctiones et constitutiones apostolicas, etiam in conciliis universalibus editas, ac in Bullâ in Coenâ Domini quotannis legi solitâ innovatas et approbatas, prohibitum et expresse interdictum sit, ne bona semel Deo dicata ad laicales seu profanos usus convertantur, neve iudices et principes laici super bonis ecclesiarum et monasteriorum beneficiorumque ecclesiasticorum ac piorum operum manus apponant, praesertim ad illorum occupationem, ipsarumque ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorumque ecclesiasticorum ac piorum operum

Facti series.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

et locorum praedictorum, ac ultimarum voluntatum, etiam antiquarum, a christifidelibus pro tempore pro ipsorum animabus apud Deum adiuvandis dispositarum et relictarum abrogationem, praeiudicium et gravamen, etiam contra leges civiles quae illorum integram executionem et plenam observantiam expresse iubent et mandant; nihilominus, ut accepimus, in in Portugalliae et Algarbiorum regnis, sub praetextu assertarum legum seu ordinationum illorum regnorum (etiamsi illae a pia memoriae Gregorio IX et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris etiam, occasione confirmationis concordatorum inter regem seu reges ac praelatos et clerum aliis initorum, annullatae, revocatae et abrogatae fuerint), attentarunt, et incoeperunt nonnulli etiam officiales et ministri regis inquietare et perturbare ecclesias, monasteria, beneficia, opera et loca pia huiusmodi, eorumque possessores, super suis bonis, etiam ab antiquo tempore per christifidelium diversas largitiones relictis et acquisitis, cappellas¹ vulgo nuncupatis, de facto, etiam auctoritate laicali et regia, et coram iudicibus laicis, vexare et molestare; et aliqui forsitan, etiam nulliter ac de facto, iniuste et indebite, illis easdem ecclesias et monasteria, beneficia, operaque et loca pia praedicta, eorumque possessores expoliarunt; alii etiam occupantibus et molestantibus nedum auxilium et favorem tam in agendo et occupando, quam in retinendo et aliis quomodolibet praestiterunt, in animarum suarum praeiudicium ac damnationem, sed etiam in violationem immunitatis ecclesiasticae et usurpationem iurium ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, operum et locorum piorum huiusmodi, ac sanctae Matris Ecclesiae contemptum, et in scandalum plurimorum,

¹ Potius legendum *cappellis* (R. T.).

censuras et poenas in praedictis sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, universalibusque conciliis, ac Bulla Coenae Domini inflictas damnabiliter incurrendo; et quia a nonnullis asseritur, quod aliqui in dictis regnis ministri Sedis Apostolicae, et forsitan etiam collectores, supradicta, vel eorum aliqua, tacita conniventia seu incuria tolerarunt seu permiserunt; nonnullos etiam, per modum declarationis, seu aliis, actus¹, qui praetenduntur tendere in praeiudicium ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, operum et locorum piorum, aliorumque praefatorum, super praefatis cappellis, ac aliis contra iurisdictionem, libertatem et immunitatem ecclesiasticam et iura sanctae Sedis Apostolicae aliaque praemissa, fecerint: etiamsi actus quorumcumque officialium et ministrorum Sedis Apostolicae, etiam collectorum, vel eorum taciturnitates, conniventiae, tolerantiae, permissiones, omissiones et acta quaecumque non possint eidem Sedi Apostolicae, ac iurisdictioni, libertati et immunitati ecclesiasticae in aliquo praeiudicare, absque scientia et approbatione nostra;

§ 2. Nihilominus ad abundantiorum cautelam nos, ad quos, ex debito pastoralis officii nobis divina dispensatione iniuncti, pertinet ecclesias, monasteria utriusque sexus, beneficia, operaque et loca pia, piisque christifidelium largitiones et cappellas praedictas, illarumque possessores, libertatem, immunitatemque ecclesiasticam, ac iura et iurisdictiones sanctae matris Ecclesiae et Sedis Apostolicae ab indebitis molestiis, vexationibus et gravaminibus quibuscumque tueri et liberare, super his de mentis nostrae declaratione et de opportuno remedio, quantum nobis ex alto conceditur, debite providere volentes, necnon praefatarum legum, ordinationum et statutorum ipsorum regnorum,

¹ Vocem *actus* nos addimus (R. T.).

Irritatio, de qua in rubrica.

ac quorumcumque, tam ab officialibus et ministris regis et aliis quibuscumque, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae et regalis, ac aliis etiam speciali nota et expressa mentione dignis, quam a quibuscumque officialibus et ministris Sedis Apostolicae, ac etiam collectoribus, super praemissis quomodolibet forsitan factorum et gestorum, seu e contra omissorum, vel qualitercumque permissorum et commissorum, ac inde sequutorum quorumcumque, tenores, etiam maiores et veriores, litiumque et causarum, si quae etiam de facto super praemissis exortae et pendentes sint, illarumque status et merita, nominaque et cognomina iudicum ac tribunalium quomodolibet qualificatorum, etiam laicalium, et colligantium, ac quorumcumque aliorum hic forsitan exprimentorum et inserendorum, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium nostrarum litterarum serie, omnes et singulos actus, etiam per modum declarationis, ac aliis quomodolibet factos, tam per quoscumque ministros et officiales regis ac iudices et quoscumque alios quavis auctoritate procedentes praefatos, quam per quoscumque officiales et ministros Sedis Apostolicae, ac etiam per collectores et quascumque alias personas et tribunalia quavis auctoritate fungentes et fungentia, super praefatis bonis, cappellas¹ nuncupatis, ecclesiarum, monasteriorum utriusque sexus, beneficiorum, operumque et locorum piorum praefatorum et contra eorum possessores praefatos, et aliis contra iurisdictionem, libertatem et immunitatem ecclesiasticam, et iura sanctae Sedis Apostolicae, cum omnibus et

¹ Legendum *cappellis* (R. T.).

quibuscumque inde sequentis et sequendis, tamquam nulliter et iniuste emanatis et emanandis, fuisse et esse nulla, nulliusque roboris et momenti, et quascumque ministrorum et officialium Sedis Apostolicae, etiam collectorum omissiones, negligentias, tolerantias, aut permissiones, et acta quaecumque nullum praeiudicium ecclesiis, piisque locis attulisse, seu afferre potuisse declaramus, illosque et illa, si aliquid validitatis umquam habuisse et habere aut huiusmodi praeiudicium afferre potuisse a quoquam praetenderetur, annullamus, improbamus, cassamus, revocamus et irritamus, ac irrita, nulla, improbata, cassa, viribusque vacua fuisse et esse, pro nullisque, improbatis, cassatis, revocatis et irritis haberi decernimus, ita ut numquam possint allegari, nec etiam, quod umquam inde aliquid damni vel praeiudicii ecclesiis aliisque praefatis omnibus et singulis potuerit oriri, a quoquam in iudicium deduci nec praetendi possit, etiam praetextu cuiuscumque interpretationis praesentium litterarum; quarum interpretationem et declarationem, ac praedictorum occupantium et usurpantium quorumcumque, illisque auxilium, consilium et favorem praestantium, et qui antea praestiterunt, absolutionem (ita ut in quacumque facultate et dispositione generali etiam cruciatae sanctae minime comprehendantur) nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris dumtaxat reservamus.

§ 3. Praesentes quoque litteras, omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis, ac cuiuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu, quantumlibet substantiali, etiam ex eo quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes quicumque etiam ministri et officiales regii praedicti, et praesertim iudices, ministri et officiales

Clausulae.

regii praedicti et alii quicumque, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, dignitatis, conditionis et praecedentiae, etiam speciali nota dignae existant, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et quaevis alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta, et causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliis sufficienter, aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et causa, etiam in corpore iuris clausis, et alia quacumque, quantumvis rationabili, iusta et privilegiata, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, vel adversus illa quodlibet iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, aut aliis quomodolibet concessis, quempiam uti, seu se iurare in iudicio et extra minime posse; sed illa semper valida, firma et efficacia existere et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, nuncios apostolicos, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac quoscumque alios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis,

et, quatenus opus sit, illa de non tollendo iure quaesito, ac praedictis et quibusvis aliis regnorum praedictorum legibus et ordinibus, statutis, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam per viam legis, aut contractus, vel statuti perpetui, in genere vel in specie, aut aliis quomodolibet, etiam motu simili, et ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, seu etiam ad quorumvis etiam regum et aliorum principum instantiam, etiam iteratis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 5 iunii 1638, pontif. anno xv.

DCIX.

Commissio auditori camerae absolvendi decanum, canonicos et capitulum ec-

clesiae Hispalensis a censuris ob recessus eorum nomine, sine tamen ullo eorum ad id mandato, aliis factum ad iudices laicos¹.

Dilecto filio magistro Francisco Mariae Ghislerio cappellano nostro, causarum sacri palatii apostolici auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum decani, canonicorum, et capituli ecclesiae Hispalensis nobis expositum fuit, quod ad ipsos ex antiquissima et immemorabili consuetudine ius percipiendi decimas ex fructibus omnium et singulorum praediorum, quae intra fines dioecesis Hispalensis possidentur a praebendatis dictae ecclesiae, praesertim vero quorundam vinearum et aliorum bonorum per dilectum filium Odoardum Pereira dictae ecclesiae canonicum in termino loci de Camas et villae S. Pontii dictae dioecesis possessorum, spectat et pertinet; prior vero et conventus S. Isidori Ordinis sancti Hieronymi prope et extra muros civitatis Hispalensis, praetendentes dicta bona in suo districtu sita existere, sibi non autem capitulo huiusmodi illorum decimas deberi, litem² desuper coram dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio commorante introduxerunt; a quo cum praefatas decimas ad priorem et conventum huiusmodi pertinere declaratum, et a dicta declaratione ab alia parte appellatum fuisset, quidam Franciscus Suarez Arguello, usus nomine ipsorum exponentium, nullo tamen eorum legitimo mandato ad id suffultus, comparens in regio consilio petiit ordinari eisdem nuncio, ut appellationem sic ut praefertur interpositam admitteret, ac omnia

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

² Male edit. Main. legit item pro litem (R. T.).

gesta revocaret; consilium vero cum mandasset hoc dilecto filio Ignatio Velasco dicti punci notario notificari, viso processu, dictus Ignatius dixit, ipsum nuncium vim non inferre; habitaque notitia per eos exponentes de huiusmodi recursu, ab illis improbatum fuit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, licet existiment se nullo ad id ab eis dato mandato in censuras ecclesiasticas nullatenus incidisse, nihilominus, ad omnem dubitandi materiam e medio removendam, ac ut ipsi iura sua in sacro Rotae Romanae auditorio, in quo lis huiusmodi coram te pendet indecisa, promovere valeant, nobis supplicari fecerunt¹, ut eis in praemissis de opportuno absolutionis beneficio ob recursum praefatum providere de benignitate apostolica dignaremur:

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constituto tibi legitime de praemissis, eosdem exponentes et eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, imposita ipsis propter praemissa arbitrio tuo aliqua poenitentia salutari, renunciatoque prius per eos quibuscumque recursibus et attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis desuper quomodolibet factis, a quibusvis² censuris et poenis ecclesiasticis, per eos quomodolibet forsitan incursis, auctoritate

Capituli Hispalensis petitio.

Commissio, de qua in rubrica.

¹ Legerem fecerint (R. T.).

² Edit. Main. legit quibus (R. T.).

nostrā ad cautelam absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum singulis gratiose remittas et condones.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicā, vel quavis firmitate aliā roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 5 iulii 1638, pontif. anno xv.

DCX.

Congregationis Ioannis Dei conventus et hospitalia in quibus sunt duodecim religiosi ab episcoporum iurisdictione eximuntur¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Paulus V declarat eos dumtaxat ad habitum admitti, qui pro infirmorum cura sunt necessarii.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Angelicus Rampulla Congregationis Ioannis Dei procurator generalis nobis nuper exponi fecit, per quamdam felicis recordationis Pauli V prohibeatur expresse, ne plures ad habitum et professionem per fratres dictae Congregationis suscipi et emitti solitam² admittantur, quam infirmorum et miserabilium personarum necessitas exigat;

Et Pius V bona acquirit per hos fratres non sibi sed infirmis.

§ 2. Ac per aliam constitutionem Pii etiam V Romanorum Pontificum praecessorum nostrorum statuatur, ut, quidquid Congregationis huiusmodi fratres acquirunt, non sibi, exceptis dumtaxat victu et vestitu, sed pauperibus infirmis et hospitalibus, ad quorum servitium particulari instituto ac voto obstringuntur, acquirant, indeque pateat dictam Congregatio-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

² Lege solita, vel solitum et solitam (R. T.).

nem non parum ab illis religionibus circa libertatem et facultatem duodecim religiosos in singulis eis conventibus et hospitalibus deputandi differre:

§ 3. Nobis propterea dictus Angelicus humiliter supplicari fecit, ut praefatam Congregationem minime comprehensam esse sub decreto, auctoritate nostrā hac de re die XXI iunii MDCXXV inter decreta *De celebratione § deinceps* edito¹, declarare, ac aliās, ut infra, indulgere de benignitate apostolicā dignemur.

§ 4. Nos igitur, eundem Angelicum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causā latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, apostolicā auctoritate, tenore praesentium, declaramus et decernimus, ut quoad dictae Congregationis conventus et hospitalia, in quibus erunt duodecim religiosi, episcopi nullatenus se ingerant, et quoad illos conventus seu hospitalia, in quibus erit minor religiosorum numerus, iidem episcopi possint insimul cum provinciali vel alio maiori eiusdem Congregationis superiore ad revisionem computorum administrationis eorumdem hospitalium procedere, ita tamen ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant.

§ 7. Non obstantibus praefato decreto, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis super numero religiosorum in quolibet monasterio aut con-

¹ Vide Urbani VIII Const. CXLV, tom. XIII, pagina 336, et speciatim § 14, pag. 339 a (R. T.).

Procurator generalis petit declarari eos non comprehendi decreto, quod latum fuit anno MDCXXV.

Urbanus ab episcoporum iurisdictione eximit conventus, ubi sunt duodecim religiosi.

Contrariis derogat.

ventu constituendo, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicā, vel quavis firmitate aliā roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 9 iulii 1638, pontif. anno xv.

DCXI.

Superioribus fratrum Ordinis sancti Francisci de Observantiā, provinciae Aquitaniae antiquioris, facultas datur litteras dimissoriales suis religiosi ad sacros ordines promovendis concedendi¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae concedendi indulti.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Jourdain, fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci strictioris Observantiae provinciae Aquitaniae antiquioris minister provincialis, quod, licet religiosi a dioecesanorum iurisdictione exempti absque illorum dimissorialibus litteris a quibusvis locorum Ordinariis cum solis testimonialibus suorum superiorum litteris ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri possint, nihilominus tamen nonnulli episcopi in illis partibus praefatos religiosos absque dictis dimissorialibus litteris episcoporum ad dictos ordines promovere dubitant et differunt.

Petitio procuratoris generalis.

§ 2. Quare dictus exponens nobis humiliter supplicari fecit, ut dictos religiosos cum solis testimonialibus litteris suorum superiorum regularium absque dimissorialibus episcoporum litteris, nullo aliās illis obstante impedimento, ad dictos or-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

dines promoveri posse decernere de benignitate apostolicā dignemur.

§ 3. Nos igitur, eundem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causā latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, tenore praesentium decernimus et declaramus posse superiores regulares suis subditis itidem regularibus, qui requisitis praediti qualitatibus ad ordines promoveri voluerint, litteras dimissorias concedere ad eum tamen dioecesanum illius monasterii ubi regulares ordinandi, ab his ad quos spectat, collocati fuerint; quo dioecesano absente, vel ordinationes non habituro, ad quemcumque alium episcopum, si tamen studiose et de industria concessionem dimissorialium litterarum huiusmodi in tempore quo dioecesanus episcopus vel abfuturus vel nullas esset ordinationes habiturus non distulerint. Ordinandi vero ab episcopo illos ordinaturo quoad doctrinam examinentur; hoc etiam servato, ut, cum a superioribus regularibus, episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, litterae dimissoriales dabuntur, in litteris huiusmodi utique dictae absentiae vel ordinationum a dicto dioecesano non habendarum causa exprimat; quod qui facere neglexerint, officii, dignitatisque, ac vocis activae et passivae privationis poenam incurrant eo ipso.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento,

Concessio, de qua in rubrica.

Derogatio contrariorum.

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 17 iulii 1638, pontif. anno xv.

DCXII.

Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis conventuum fratrum Cappuccinorum ubique existentium, cum facultate superioribus commutandi inutiles per syndicos.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Conservationi et manutentioni bibliothecarum singularum domorum ubique existentium fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, earumdemque domorum guardianos et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii mo-

derni dicti Ordinis procuratoris generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§ 1. Ne de cetero quiquam, quavis auctoritate fungentes, libros, quaternas, folia sive impressa sive manuscripta, dictis bibliothecis per quoscumque christifideles hactenus quomodolibet donata et assignanda, ex eis extrahere, sive ut extrahantur permittere, sub quovis quaesito colore, causâ, praetextu vel occasione, audeant seu praesumant, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus. Permittimus tamen provincialibus et definitoribus dicti Ordinis coniunctim procedentibus, ut per eorum syndicos earumdem bibliothecarum libros dicto Ordini inutiles cum aliis utilibus, de licentiâ tamen illorum qui eosdem libros ut praefertur donaverint, aut eorum haeredum si extiterint, permutare. Superioribus autem singularum huiusmodi domorum, ut libros, quaternas et folia huiusmodi etiam e dictis bibliothecis pro usu verbi Dei praedicatorum dicti Ordinis, qui in civitatibus, oppidis, terris, castris et locis in quibus dictae domus existunt vel existant, aut aliis locis eiusdem dioecesis vel non multum distantibus praedicabunt, extrahere, ac fratribus domorum regularium huiusmodi, ut illa studendi causâ ad suas cellas deferre valeant, dummodo in libro ad id in bibliothecis huiusmodi parato nomina sua et librorum seu quaternorum ac foliorum huiusmodi, quae sumpserint, annotent, ac, postquam dicti praedicatores et fratres illis usi fuerint, illa illico ad dictas bibliothecas sub eisdem poenis reportent, concedere possint.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domorum et Ordinis huiusmodi, etiam

Mandat prout in rubricâ.

Derogat contrariis.

iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copiae in valvis singularum dictarum bibliothecarum, aut aliis perspicuis locis, unde ab omnibus commode cerni possint, continuo affixae remaneant; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxix iulii MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xv.

Dat. die 29 iulii 1638, pontif. anno xv.

DCXIII.

Facultas regimini civitatis Bononiensis continuandi gabellas, unam scilicet quatuor solidorum pro qualibet librâ serici exteri, et aliam decem solidorum pro qualibet librâ serici duplicis, durantibus octo annis proxime futuris, ad effectum solvendi aes alienum a camerâ dictae civitatis contractum¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliâs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Aliâs felicitis recordationis Paulus, etc.² Subinde vero, pro parte dilectorum filiorum regiminis dictae civitatis, per dilectum filium Ioannem Baptistam de S. Petro tunc existentem eiusdem civitatis apud nos oratorem, nobis denuo

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

² Non puto eas esse in Bullario (n. r.).

Refert datam aliâs a se facultatem imponendi duo vicedigalia.

exposito, quod ipsi, occasione expensarum quas in hospitandis Sedis Apostolicae militibus, tam aliâs in Vallem Tellinam, quam postmodum pro fabricâ propugnaculi seu fortalitii Urbani nuncupati iussu nostro missis, facere coacti fuerant, aes alienum pro summâ centum et nonaginta trium millium ac octingentarum et octuaginta octo librarum monetae Bononiensis circiter contraxerant, ex eoque per totum mensem martii tunc proximum pro summâ centum et triginta millium ac noningentarum et nonaginta octo librarum similium circiter debitores remanebant; et propterea, quo aes alienum contractum huiusmodi, et deinceps causâ hospitalionis militum eorundem durante contrahendum extinguere, fructusque ratione illarum portionum, quas aliâs de licentiâ nostrâ ad interusurium acceperant, solvere valerent, duo datia et duas gabellas huiusmodi ad aliud nobis benevisum tempus continuare posse plurimum desiderabant: nos, regimini praedictis, quod duo datia, seu duas gabellas huiusmodi, ac quodlibet illorum seu illarum ad octo annos tunc proxime futuros tantum continuare libere et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum praefatarum incursu, possent et valerent, apostolicâ auctoritate facultatem concessimus et impertiti fuimus, et aliâs, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur¹.

§ 2. Cum autem, sicut iidem regimen nobis denuo exponi fecerunt, camera dictae civitatis pecuniis nedum exhaustissima sed etiam gravi aere alieno obstricta reperiatur, et propterea, quo aes alienum huiusmodi extinguere, et depositariis montium dictae civitatis creditoribus satisfacere

¹ Etiam secundas has litteras puto a Bullario exulare (n. r.).

Et causas ea continuandi.

cere valeant, sibi per nos ut infra oportune provideri summopere desiderent:

Concedit facultatem per octennium.

§ 3. Nos, regimini huiusmodi de aliquo subventionis auxilio in praemissis oportune providere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, regimini praefatis, quod duo datia seu gabellas huiusmodi, ac quolibet illorum seu illarum ad octo annos proxime futuros tantum, comprehensis tamen in dicto tempore pecuniis a fine primae concessionis hactenus exactis, continuare, pecuniasque tam exactas quam exigendas huiusmodi praefati in aeris alieni dissolutionem et satisfactionem praefatis depositariis faciendam convertere et erogare libere et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum praefatarum incursu, possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et imper-

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes,

illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 3 augusti 1638, pontif. anno XV.

DCXIV.

Circa facultatem alienandi usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessam Congregationi Cassinensi, declaratio, quod pro huiusmodi alienatione non requiritur licentia protectoris.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Aliâs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet:

Refert Constitutionem aliâs editam.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit, etc. 2.

§ 1. Cum autem, sicut idem procurator generalis nobis nuper exponi fecit, a quamplurimis, praesertim vero a census super bonis eiusdem congregationis iuxta tenorem praesentiarum litterarum imponendos emere volentibus, dubitetur, an pro imponendis censibus huiusmodi dicti Francisci cardinalis protectoris huiusmodi approbatio et regiminis praedicti licentia sint necessariae, nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari

Procuratoris generalis petitione.

1 De istorum monachorum Congregatione notavi ad Const. CDXXXVI (al. 404) *Sancta Mater*, supra pag. 284. Et ad Const. DXXXVI, *Exponi nobis*, ut supra pag. 593, et demum ad Const. DLXXI, pag. 648.

2 Hanc constitutionem inutiliter repetitam in edit. Main. nos omittimus, quia iam dedimus supra pag. 593 huius tomi (R. T.).

fecit, ut in praemissis opportuna declarationis nostrae ministerio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, dictae congregationis et illius monasteriorum indemnitati per amplius consultum cupientes, illasque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod in vim praesentiarum nostrarum litterarum abbatibus monasteriorum dictae congregationis intelligatur intelligique debeat, absque aliâ licentiâ et approbatione, concessa facultas super eorum et dictae congregationis monasteriorum bonis stabilibus novos, annuos et redimibiles census iuxta formam constitutionis praefati Pii praedecessoris imponendi, ad effectum census annuos, super ipsius congregationis bonis stabilibus aliâs de Sedis Apostolicae licentiâ impositos, cum pecuniis novorum censuum huiusmodi, ad minorem tamen rationem pro quolibet centenario et anno sive minori interusurio obnoxiiis, super eodem fundo et non aliâs accipiendis, servatâ in reliquis earumdem litterarum formâ, redimendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II etiam praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationis, ordinis et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et con-

1 Aptius lege illaque id. e. *monasteria* (R. T.).

suetudinibus, ceterisque omnibus quae dictus Pius praedecessor voluit in praedictis suis et nos in nostris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut novorum censuum huiusmodi impositio et veterum extinctio unico contextu fiant, vel saltem pecuniae ex novâ impositione huiusmodi provenientes penes montem pietatis aut personam fide et facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendae nisi ad effectum extinctionis praedictae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 11 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXV.

Facultas magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam in insulâ Melevitana pro extinctione aeris alieni contracti ob annonae inopiam.

Dilecto filio, magno magistro hospitalis
S. Ioannis Hierosolymitani,
Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum iuratorum universitatis et hominum insulae Melevitanae nobis expositum fuit, quod ipsi, ob penuriam rei frumentariae eorum curae et administrationi commissae, qua superioribus annis dicta insula laboravit, coacti fuerunt, eo quia ordinarias frumenti extractiones e regno Siciliae tunc graviore annonae difficultate presso obtinere minime potuerunt, frumentum sibi e remotis partibus quaerere seu compa-

Causas imponendae novae taxa refert

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Heic et deinceps videretur legendum *Melitenensis* vel *Melitanae* (R. T.).

rare; cuius frumenti in dictam insulam importati¹ salma², ultra malam illius conditionem, ob locorum distantiam, penuriosa tempora, lucra pecuniarum, fideiussiones, cambia et recambia monetarum, aliaque interusura, ad summam octodecim scutorum ascendit. Unde tu, provide considerans quod frumentum huiusmodi in dies deterius evadebat, illudque brevi proiciendum erat, habitâ ratione dispendii populorum dictae insulae, praesertim vero pauperiorum, mandasti, ut frumentum praedictum quam citissime partim cominodioribus dictae insulae personis pro eodem pretio octodecim scutorum, partim aliis ad rationem duodecim, residuum vero, quod interim viliatum et corruptum erat, ad rationem octo scutorum similium pro qualibet salmâ distribueretur. Quod non parum populos dictae insulae sublevavit, damno tamen interim ipsius universitati et hominibus ratione diversitatis pretiorum huiusmodi fuit. Qui, cum ex pecuniis mercatorum, mediante interusurio seu beneficio duorum tarenorum pro quolibet scuto, pretium frumenti huiusmodi illius venditoribus solverint, eorundem mercatorum non solum in iacturâ pretiorum, sed etiam lucrorum debitores remanent. Quinimo oportuit ipsos notabilem pecuniarum summam mercatoribus praedictis, ne a negotiatione rei frumentariae maxime illis penuriosis temporibus et ex aliis causis detererentur, solvere. Quapropter, cum praedicti universitas et homines nec bona propria, nec peculia, nec alios effectus nisi pauca possideant, illaque in reparationem certarum fabricarum destinata existant, nec aliis sumptibus, quos necessario facere tenentur, sufficiant: nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt praedicti exponentes, ut sibi in prae-

¹ Pessime edit. Main. legit *importari* (R. T.).

² Id est *sagma*, vel *sella*, pondus, sarcina, quae super sellam ponitur (R. T. ex DUCANGE).

missis per aliquam taxae super rebus comestibilibus impositionem, ut infra, providere de benignitate apostolicâ digneremur.

§ 2. Nos igitur, eosdem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut pro hac vice tantum, non tamen quoad ecclesias et personas ecclesiasticas, unam taxam sive gabellam in praedictâ insulâ, nedum super re frumentariâ, sed etiam super vino, oleo et omnibus aliis rebus comestibilibus vendendis et emendis exigendam, duraturam donec et quousque praedicti universitas et homines summam viginti sex millium circiter scutorum exinde perceperint, qua mercatoribus creditoribus suis debite et integre satisfiat, imponere libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Facultatem magno magistro illam imponendi concedit.

Obstantibus derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.
Dat. die 16 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXVI.

Confirmatio reductionis monasteriorum Ordinis S. Salvatoris seu sanctae Birgittae Belgii in unam congregationem, etc.¹

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Clemens VIII monasteria congregationis sancti Salvatoris in Belgio inuadari curat.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum superiorum congregationis S. Salvatoris, aliâs sanctae Birgittae, in Belgio, nobis expositum fuit, quod aliâs felicitis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, supplicationibus quondam Isabellae Clarae Eugeniae Hispaniarum infantis et principissae Belgii inclinatus, tunc et pro tempore existenti Sedis Apostolicae nuncio in Germaniae inferioris partibus commoranti, ut in singulis locis provinciarum Belgii, Ordinariis vero locorum provinciarum huiusmodi ut singuli in suis civitatibus et dioecesibus, monasteria et alia regularia loca Ordinis seu instituti S. Salvatoris, aliâs sanctae Birgittae, tam virorum quam mulierum, servatâ sacrorum canonum et conciliorum generalium formâ, fundare, erigere atque instituere, necnon statuta et regulas pro felici eorum directione et regimine condere, illisque praescribere libere et licite valerent, concessit et indulsit.

Statuta congregationis eiusdem confirmat Gregorius XV.

§ 2. Et subinde similis recordationis Gregorius Papa XV, etiam praedecessor noster, supplicationibus superiorum dictae congregationis inclinatus, regulas et statuta huiusmodi confirmavit et approbavit; dictisque regulis et statutis ab omnibus

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

dictae congregationis seu Ordinis personis receptis, institutum congregationis seu Ordinis huiusmodi in illis partibus valde propagatum non sine spe maioris futuri incrementi fuit.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Ordinis seu congregationis huiusmodi superiores monasteria vigore concessionis et indulti Clementis praedecessoris praedicti erecta et instituta in unam congregationem reducerent, ac in eiusdem congregationis, illiusque monasteriorum visitatorem generalem dilectum filium Riccardum Paulum Stranium archidiaconum Atrebatensem, utpote de dicti Ordinis instituto optime informatum, deputaverint¹; ut vero reductio et deputatio huiusmodi firmiter subsistant, dicti superiores illos apostolicae nostrae confirmationis praesidio communiri summopere desiderant:

Postea vero superiores dicti supradicta omnia monasteria reducerent in unum corpus, visitatoremque generalem elegerunt.

Quam reductionem et electionem petunt confirmari.

§ 4. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos² fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, reductionem monasteriorum huiusmodi in unam congregationem, necnon deputationem dicti Riccardi Pauli in visitatorem generalem dictae congregationis, ut praefertur, factas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique³ inviolabilis

Pontifex confirmat.

¹ Edit. Main. legit *deputaverunt* (R. T.).

² De more solito legerem *absolutas* (R. T.).

³ Cohaerenter legendum *illisque* (R. T.).

apostolicae firmitatis robor adiciamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac Riccardum Paulum archidiaconum Atrabatenensem in capitulis generalibus dicti Ordinis praefectum instituit.

Ipsa autem vita functo abbatem generalem eligi permittit.

Congregatio ab Ordinariis superioribus et religiosis, illiusque monasteria et membra, a iurisdictione Ordinariorum locorum, praeterquam in casibus a Concilio Tridentino exceptis et expressis, penitus et omnino eximimus et liberamus.

Clausulas apponit.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac congregationis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad

verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 17 augusti 1638, pontif. anno xvi.

DCXVII.

Quod fratres strictioris Observantiae sancti Francisci provinciae Principatus non erigant conventum in civitate Neapolitanâ, sed observent concordiam iam factam.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Christi Salvatoris nostri, qui charitas est et Deus pacis, vices meritis licet imparibus gerentes in terris, his, quae pro bono pacis inter christifideles quoslibet, et praesertim Altissimo sub suavi religionis iugo et arctioris vitae disciplinâ famulantes, concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiciamus firmitatem.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes de Neapoli Ordinis fratrum Minorum Reformationum sancti Francisci nuncupatorum provinciae Terrae Laboris professor, quod, vertente quadam inter patres custodiae Terrae Laboris et custodiae Principatus dicti Ordinis controversiâ, patres praedicti devenerunt ad concordiam tenore subsequenti, videlicet:

Ad omnem sedandam, tollendamque controversiam, quae inter patres custodiae Terrae Laboris et patres custodiae Principatus versatur, in hoc omnes unanimes conveniunt, ut patres Reformationis Principatus desisterent a lite et praetensione

Prooemium.

Capitula concordiae observanda.

conventus in civitate Neapolitanâ construendi, sive iam constructi petendi, patresque Terrae Laboris tria infrascripta exequutioni mandarent: et primo, ut quoties aegroti custodiae Principatus pro infirmitatibus insolitis, et alibi curari non valentibus, praecipue ob indigentiam remedium, Puteoli Neapolim perveniunt, charitative a fratribus Terrae Laboris recipiantur, ac iuxta seraphici patris mandatum eis inserviatur, sicut vellent sibi serviri: secundo vero, ut quoties pro necessariis et honestis negotiis fratres Principatus Neapolim confugiunt, ab ipsis tractandis minime impediuntur, sed potius eis faveant: et tandem, quoties pro eiusdem custodiae occurrentibus negotiis eandem civitatem Neapolitanam adeunt, iuxta Reformationum consuetum morem patrumque gradus et condiciones, de cellâ ceterisque hospitibus necessariis benigne provideatur¹, ac si propriae custodiae fratres ac filii essent, et, ne ob concurrentium fratrum multitudinem confusione ac hospitandi impossibilitati detur locus, custos pro tempore Reformationis Principatus sit circumspectus, ne plures, quam deceat, simul Neapolim fratres mittat.

Ego frater Laurentius a Monte Corvino, custos Reformationis provinciae Principatus, confirmo, ut supra.

Ego frater Marcellus a Summa, a patre custode et a patribus meae Reformationis ad hoc missus et delegatus, confiteor, ut supra.

Ego frater Ioannes Baptista a Dongo, procurator generalis Reformationum, interfui, ac pro bono publico et pace annui.

Approbatio protectoris.

Pro nostri muneris ratione utriusque custodiae paci et quieti consulentes, supradictam conventionem et concordiam perpetuo valituram praesenti decreto confirmamus et approbamus, ab omnibusque

¹ Forsan legendum provideantur, vel ipsis provideatur (R. T.).

et singulis Reformationis pro tempore existentibus superioribus et inferioribus observari volumus, decernimus et praecipimus, sub poenis inobedientiae, aliisque arbitrio infligendis. Datum Romae, ex palatio nostrae solitae residentiae, die xxix martii MDCXXXVIII.

FABRITIUS card. VERALLUS, protector.

§ 2. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes praemissa pro firmiori illorum subsistentiâ apostolicâ auctoritate comprobari desideret: nos, ipsum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam praedictam, cum omnibus in eâ contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiciamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio pontificia, prout in rubrica.

§ 3. Decernentes concordiam huiusmodi necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac a dictarum custodiarum superioribus et fratribus, et quibusvis aliis ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Or-

Derogatio contrariorum.

dinis et custodiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 17 augusti 1638, pontif. anno XVI.

DCXVIII.

Quod in ecclesiis parochialibus, quae sunt membra monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliâs ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit etiam per monachos ad nutum suorum superiorum amovibiles.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Aliâs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus super subinserto supplici libello sibi tunc porrecto emanavit decretum tenoris subsequenti, videlicet:

Supplicatio.

§ 1. Illustrissime et reverendissime Domine. Monasterium Ordinis sancti Benedicti Congregationis Cassinensis civitatis Patavinae habet nonnullas parochiales ecclesias in eadem diocesi, quae non sunt unitae monasterio, sed sunt parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus episcopus Patavinus dicit monasterium fuisse solitum deputare presbyteros seculares, qui praevis ipsius episcopi examine et approbatione curam animarum exercue-

runt; sed ab aliquot annis coepisse deputari unum monachum, qui sine socio regulari et cum solo famulo habitat in dictâ parochiali, et curam administrat etiam sine episcopi approbatione. Unde nunc quaeritur, an in dictis parochialibus ab ipsis monasteriis quoquo modo dependentibus, non autem unitis, debeat curam animarum exerceri per monachum, vel presbyterum secularem ab ipsis monachis nominatum, et ab episcopo approbatum.

Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partibus auditis, censuit in parochialibus, quae sunt membra monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliâs ab ipsis dependentes, curam animarum exerceri posse etiam per monachos ad suorum superiorum nutum amovibiles, ita tamen, ut iidem prius examinentur et approbentur ab episcopo, eiusque iurisdictioni subiiciantur in his quae ad ipsam curam et sacramentorum administrationem pertinent, et cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitat alius saltem monachus eiusdem Ordinis professus ad praescriptum concilii Lateranensis sub Alexandro III, c. x.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae congregationis nobis nuper exponi fecit, ipsum¹ decretum huiusmodi, pro illius firmitate subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: nos, eundem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, ha-

¹ Videretur legendum ipse (n. r.).

Declaratio,
prout in rubrica.

Confirmatio
decreti.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

rum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesentum cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium
derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCXXXVIII, anno XVI.

Dat. die 6 septembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXIX.

Contra deferentes habitum tertiariorum tertii Ordinis sancti Francisci absque licentiâ superiorum Ordinis, vel deferentes tunicam oblongam, cum vel sine caputio, cum mantello¹.

¹ Pro observantiâ huius constitutionis die XXVII novembris MDCXXXVIII provicarius Papae frater Antonius cardinalis Barberinus expedit

§ 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum regularis observantiae sancti Francisci nobis nuper exponi fecit, quamplures, abutentes habitu fratrum tertiariorum Ordinis eiusdem sancti Francisci, vel simplicem tunicam oblongam cum mantello vel sine eo absque superiorum praedictae religionis licentiâ deferant, vel etiam eis caputium, aut tunicae adiunctum aut ipsi mantello consutum, superaddant, eorumque nonnulli extra claustra degentes, tum scandalo et inopportune sub specie peregrinationis aut alterius emendicati praetextu divagentur, tum etiam aliquas ecclesias, seu cappellas, adscito sibi eremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud seculares scandali materia et pravae opinionis erga praedictam religionem ingeratur: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut tot incommodis et scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 1. Nos igitur, eundem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

§ 2. Omnibus et singulis locorum Ordinariis, ac nostris et Sedis Apostolicae nunciis, ubi vis terrarum constitutis et delegatis, tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, ne de cetero edictum, sub poenâ carceris et expoliationis habitus in contrafacientes.

Supplicatio.

Mandat' Ordinaris, si quos invenierit, de quibus in rubrica carceri mancipandos esse, etc.

quemquam praedictam tunicam oblongam, cum vel sine mantello, absque superiorum praedictae religionis Minorum de Observantiâ et cuiusvis instituti seu congregationis Ordinis eiusdem sancti Francisci licentiâ in scriptis obtentâ, quoquo modo deferre permittant; utque, si aliquem praemissorum transgressorem repperint, illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum, et arbitrariis poenis mulctandum irremissibiliter curent; et praeterea nemini licitum faciant, etiamsi praedictae religionis Minorum de Observantiâ et cuiusvis instituti seu congregationis universi Ordinis huiusmodi superiorum scripta seu quovis alio praetextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum huiusmodi cum praedicto caputio, vel tunicâ, seu mantello, ut praefertur, consuto deferant, sublatâ eiusdem Ordinis superioribus, ipsisque locorum Ordinariis, ac nunciis apostolicis, et eorum cuilibet, quavis auctoritate licentias huiusmodi cuiquam concedendi; ac demum earundem tenore praesentium volumus et ordinamus, ut, si quispiam tale deferens caputium, vel cum licentiâ vel sine eâ, inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione et aliis arbitrariis poenis ab eisdem Ordinariis et nunciis omnino puniatur.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. § 4. Ut autem praesentes nostrae lit-

terae ad omnium quos illae concernunt notitiam facilius deveniant, volumus, quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 5 octobris 1638, pontif. anno XVI.

DCXX.

Decretum sacrae rituum Congregationis de non ieiunando in vigiliâ sancti Ioannis Baptistae quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi.

Die XXIV septembris MDCXXXVIII.

Cum anno proxime venturo MDCXXXIX vigilia sancti Ioannis Baptistae incidat in diem solemnitatis Corporis Christi, fuit a pluribus locorum Ordinariis supplicatum Sanctissimo pro declaratione quid agendum de ieiunio eo die praescripto. Et, supplicatione per Sanctitatem Suam ad sacram rituum Congregationem remissâ, eadem sacra Congregatio, re mature discussâ, censuit non esse ieiunandum, neque abstinendum a carnibus in festo solemnitatis Corporis Christi, sed anticipandum ieiunium die antecedenti, nempe feriâ quartâ, prout ieiunaretur in ipsâ vigiliâ; et videri etiam sacrae Congregationi, quod Sanctitas Sua, si illa ei¹ placuerit, praeciperet super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus contigerit; et, factâ per me secretarium relatione de praemissis Sanctitati Suae, Sanctitas Sua sententiam sacrae Congregationis laudavit, et Breve pro toto orbe

¹ Pronomen ei nos addimus (A. T.).

expediri mandavit, prout expeditum fuit, tenoris ut infra.

C. episc. Portuen. card. Pius.

Loco † sigilli.

Declaratio, quod non sit ieiunandum in vigiliâ sancti Ioannis Baptistae, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

Cum evenire quandoque possit, ut vigilia sancti Ioannis Baptistae in diem festum solemnitatis sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi incidat:

Declaratio de qua in rubrica.

§ 1. Nos, attendentes diem festum huiusmodi, quo tanti Sacramenti institutio summâ totius populi christiani laetitiâ recolitur, e principalibus anni festivitibus existere, propterea, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties vigiliam praedictam in dictum diem festum solemnitatis sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe feriâ quartâ, prout ieiunaretur in ipsâ vigiliâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 2. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur eisdem litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

¹ Circa hoc habes immediate supra decretum sacrae rituum Congregationis.

Bull. Rom. — Vol. XIV.

85

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.
Dat. die 13 octobris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXI.

Confirmatio litterarum pontificiarum, ac praesertim Pauli V, circa officium capitanei Portus Ariminensis¹.

Dilectis filiis communitati et hominibus civitatis nostrae Ariminensis,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Constantis vestrae fidei et devotionis erga nos et Apostolicam Sedem sinceritas, quam multis iam dudum argumentis comprobastis, nos inducit, ut, votis vestris benigne annuentes, vos specialibus favoribus et gratiis libenter prosequamur.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecistis, inter alia privilegia, indulta, concessionem, facultates, immunitates, exemptiones, libertates et gratias, vobis vestraeque civitati et illius magistratibus, officialibus, tum portus castorum nundinariis, tum aedilibus et aliis quovis nomine nuncupatis, necnon circa iurisdictiones consulum dictae civitatis et consulum nundinarum, aedilium, capitanei portus, et aliorum quorumcumque officiorum, a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac Sedis Apostolicae de laterè legatis, vicelegatis, praesidibus, camerariis, commissariis et visitatoribus apostolicis quomodolibet concessas et concessa, ac a felicis recordationis Paulo Papa V etiam praedecessore nostro per quasdam suas litteras (quas nos per nostras in simili formâ Brevis die XXIV septembris MDCXXV expeditas litteras con-

Prooemium.

Summa litterarum Pauli V circa officium capitanei portus Ariminensis.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

firmavimus et approbavimus) confirmatas et confirmata, capitanei portus huiusmodi officium, ad quod unus de consilio eiusdem civitatis per vota secreta quotannis, ut asseritis, eligi et assumi consuevit, ceteris civitatis officiis honorabilius reputetur, et propterea easdem Pauli V litteras, circa ea quae officium capitanei portus huiusmodi concernunt, peculiari apostolicae confirmationis munimine comprobari summopere desideratis:

Quas litteras
communis A-
riminensis po-
tuit confirmari.

Sequitur con-
firmatio.

§ 2. Nos, amplioribus favoribus et gratiis vos prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Pauli praedecessoris huiusmodi litteras et in eis contenta, quoad ea quae dictum capitanei portus officium concernunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes illas necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, vobisque plenissime in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus o-

pus sit, dictae civitatis, etiam, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ab verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxv octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 25 octobris 1638, pontif. anno xvi.

-DCXXII.

Confirmatio electionis Ferdinandi III in regem Romanorum futurum imperatorem¹.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Romanorum et Hungariae ac Bohemiae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vices illius, qui regnat in caelis, et per quem reges in terris dominantur et principes imperant, in Apostolicae Sedis speculâ meritis licet imparibus, solâ eius miseratione et gratiâ freti, sustineamus, muneris nostri partes esse intelligimus, quae communis utilitatis, salutis et praesidii causâ comparata noscuntur, atque ad sacri Romani imperii statum, decus et amplitudinem praecipue pertinent, iudicii et auctoritatis nostrae munimine roborare.

Exordium.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Ferdinandus III
in Romanum re-
gem et futurum
imperatorem e-
lectus et coro-
natus.

§ 1. Quapropter, cum, sub die xxii mensis decembris anni Domini MDCXXXVI, tu, qui clarâe memoriae alterius Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi, tunc viventis et consentientis, ad praesens defuncti, natus et Hungariae et Bohemiae rex existis, cuiusque amplissimae pietatis in sanctam Sedem Apostolicam argumenta, et strenui in bellis labores pro tuendâ catholicâ religione, aliaque promerita iam satis superque innotuerunt, in Romanorum regem futurum imperatorem solemniter electus fueris, et electioni huiusmodi, oblato tibi de more decreto, qua decet modestiâ, consenseris, et deinde, solito per te in manibus venerabilis fratris nostri archiepiscopi Moguntini praestito more catholicorum regum praedecessorum tuorum iuramento, aliisque solemnitatibus requisitis peractis, dicti archiepiscopi ministerio ritu et pompâ solitis coronatus extiteris; electionis vero huiusmodi confirmationis negotium nuper nobis per dilectum filium nobilem virum Ioannem Franciscum Chremaniae ducem et principem Enhembergi oratorem tuum specialem, quem ad praestandam nobis solitam obedientiam destinasti, exponi feceris:

Quam electio-
nem Urbanus
confirmat.

§ 2. Nos, de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenter perpensâ et mature consideratâ, magnâ animi nostri cum spiritali laetitiâ ex eadem electione susceptâ, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et gloriosissimae Virginis eius genitricis Mariae, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, necnon eiusdem S. R. E. et sacri imperii exaltationem et honorem, electionem de personâ maiestatis tuae in regem Romanorum futurum imperatorem, aliaque praemissa, ob praestantissimas animi et corporis tui dotēs, earumque luculentissima indicia¹ et

¹ Edit. Main. legit *iudicia* (R. T.).

testimonia, et certissimam spem¹, quam de te in sanctae fidei et religionis catholicae ac nostrâ et Romanae Ecclesiae illiusque rerum et bonorum defensione, propagatione et protectione conceptam habemus, de eorundem fratrum consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, qui aut ratione formae, aut loci coronationis, ut praefertur, factae, aut personarum principum electorum, seu etiam ex eo quod idem Ferdinandus pater tuus electus imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, seu quavis aliâ ratione vel causâ in electione aliisque praemissis quovis modo forsân intervenerint, supplemus, teque sic electum et confirmatum ad suscipiendum imperialis dignitatis culmen suis loco et tempore dignum et idoneum decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis legibus imperialibus, ac privilegiis electoribus praedictis et quibusvis aliis forsân concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, auctoritate, scientiâ, potestate, ac tenore praemissis, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

¹ Male edit. Main. ut puto legit *certissima*, *spem* (R. T.).

Sanctio poe- § 4. Nulli ergo omnino hominum li-
nalis. ceat hanc paginam nostrae confirmatio-
nis, approbationis, suppletionis, decreti,
declarationis et derogationis infringere,
vel ei ausu temerario contraire. Si quis
autem hoc attentare praesumpserit, indi-
gnationem omnipotentis Dei ac beatorum
Petri et Pauli apostolorum eius se nove-
rit incursum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,
año Incarnationis Dominicae MDCXXXVIII,
iv idus novembris, pontificatus nostri an-
no XVI.

Dat. die 10 novembris 1638, pontif. anno XVI.

Subscriptio
Papae.

✠ EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

In Domino sperans non infirmabor.

Aliae subscri-
ptiones.

† Ego Carolus episcopus Praenestinus
card. Pius.

† Ego M., episcopus Tusculanus, cardina-
lis Lantes.

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Guido tituli S. Praxedis presby-
ter cardinalis Bentivolus.

† Ego Iulius tituli S. Mariae super Miner-
vam card. Penna.

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Caroli car-
dinalis de Cremona nuncupatus.

†

†

†

ior poenitentiarius et bibliotheca-
rius.

† Ego Bernardus tituli S. Stephani in
Monte Coelio presbyter card. Spada.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Eusebii
presbyter cardinalis Pamphilius.

† Ego Franciscus tituli S. Alexii presby-
ter cardinalis Balneo.

†

† Ego Ioannes tituli S. Silvestri in Capite
presbyter cardinalis Pallottus.

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Franciscus Maria Basilicae Ss. Duo-
decim Apostolorum presbyter cardina-
lis Paraccianus.

†

†

†

†

†

†

† Ego Franciscus S. Laurentii in Damaso
diaconus S. R. E. vicecancellarius sum-
mator Papae cardinalis Barberinus.

† Ego Petrus Maria S. Grisogoni dia-
conus cardinalis Burghesius.

†

† Ego Alexander S. Eustachii diaconus
cardinalis Caesarinus.

† Ego S. Agathae diaconus S. R. E. ca-
merarius et signaturae gratiae prae-
fectus cardinalis Antonius Barberinus.

†

†

†

†

DCXXIII.

Quod monachi Cassinenses non sunt ullo
modo cogendi accedere nisi ad pro-
cessionem Sanctissimi Sacramenti.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva cum
decreto desu-
per emanato.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii pro-
curatoris generalis congregationis Cassi-
nensis Ordinis sancti Benedicti nobis ex-
positum fuit, quod aliàs, seu nuper, a
venerabilibus fratribus nostris S. R. E.
cardinalibus sacris ritibus praepositis e-
manavit decretum tenoris subsequentis,
videlicet:

Pro monachis S. Sixti congregationis
Cassinensis Placentiae commorantibus nar-
ratum fuit, quod ipsi monachi nunquam
in eadem civitate, nec alibi, soliti sunt
accedere ad alias processiones, praeter-

1 Ne iam indicata otiose repetantur, vide no-
tata ad Const. dcxiv supra pag. 639.

quam ad processionem Sanctissimi Sacra-
menti. Nunc vero episcopus vult cogere,
ut accedant etiam ad processiones quae
fieri solent pro rogationibus maioribus
et minoribus singulis annis, ad quas an-
tea nunquam accesserunt, et propterea pe-
tierunt non adstringi ultra eorum soli-
tum et consuetum.

Sacra rituum congregatio respondit,
monachos praedictos non esse ullo modo
cogendos accedere nisi ad processionem
Sanctissimi Sacramenti, iuxta eorum anti-
quam consuetudinem, quam, tam dictis mo-
nachis Placentiae commorantibus, quam
aliis eiusdem congregationis Cassinensis,
ubique conservandam esse censuit et de-
claravit die x iunii MDCIII. Datum hac die
ix octobris MDCXXXVIII.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio
subiungebat, dictus procurator generalis
decretum huiusmodi pro illius firmiori
subsistentiâ apostolicae nostrae confirma-
tionis robore communiri summopere de-
sideret: nos, eundem procuratorem ge-
neralem specialibus favoribus et gratiis
prosequi volentes, et a quibusvis excom-
municationis, suspensionis et interdicti,
aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris
et poenis, a iure vel ab homine, quavis
occasione vel causâ latis, si quibus qua-
modolibet innodatus existit, ad effectum
praesentium dumtaxat consequendum, ha-
rum serie absolventes et absolutum fore
censentes, supplicationibus illius nomine
nobis super hoc humiliter porrectis in-
clinati, decretum praeinsertum, cum om-
nibus et singulis in eo contentis, apostoli-
câ auctoritate, tenore praesentium, confir-
mamus et approbamus, illique inviolabilis
apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac
omnes et singulos tam iuris quam facti
defectus, si qui desuper quomodolibet in-
tervenerint, supplemus.

§ 3. Decernentes illud necnon prae-
sentes litteras valida, firma et efficacia

Confirmatio
decreti, de quo
in rubrica.

Clausulae.

existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae nunc et pro tempore existenti in regno Neapolis nuncio, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, decretum et praesentes litteras huiusmodi, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte tam praedictorum monasterii Placentini quam aliorum quorumcumque eiusdem Congregationis monachorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant illos auctoritate nostrâ praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis Congregationis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anno Io Piscatoris, die xvii novembris mdcxxxviii, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 17 novembris 1638, pontif. anno xvi.

DCXXIV.

Preces primariae Ferdinando III regi Romanorum in imperatorem electo conceduntur¹.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,

Charissimo in Christo filio Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum² post factam de personâ tuâ per sacri Romani imperii principes electores, de consensu clarae memoriae Ferdinandi II Romanorum regis in imperatorem electi patris tui tunc in humanis agentis, in regem Romanorum electionem, ac per nos pro universae christianae republicae salute confirmatam, nuper nobis significaveris te summopere desiderare personas tibi gratas et acceptas gratiâ et munificentia tuâ aliqua beneficia ecclesiastica consequi posse:

Ferdinandi instantia.

§ 2. Nos, quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque praeconiis commendari sublimium principum desideria et vota, quae in divini nominis et personarum illi clericali vinculo adstrictarum amorem feruntur, et opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum³, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut (quoniam in fidei sinceritate et devotione illibatae Ecclesiae

Eius in Ecclesia Romana merita;

¹ Ex Regest. in Secret. Brev. — Non absimiles concessionem primariorum precum aliis Romanorum imperatoribus statim post confirmationem eorum electionem concessas retulimus suo loco.

² Similes vide litteras Pauli V quas dedimus in tom. xii, pag. 197 et 472 (R. T.).

³ Vide loca parallela citata (R. T.).

sponsae nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem et dominam tuam recognovisti, et ad ipsius honorem et sacri Romani imperii decus unctionem victoriae et diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam, tamquam ipsius Ecclesiae legitimus pugillator et athleta, te adversus schismaticorum et haeticorum, turcarum tyranni ac fidei et Christi nominis hostis insanias et furores spiritualiter et temporaliter armaris et in dies arma huiusmodi iugiter exqueris) ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, et per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis apostolicae, exhibitione gratiarum.

Concessio primariorum precum.

§ 3. Hinc est quod tuae celsitudinis supplicationi inclinati, dictâ auctoritate, praesentium serie, eidem celsitudini tuae concedimus et indulgemus, quod, si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum secularium vel regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum (etiam si⁴ qui vel si quae pontificali vel aliâ quavis dignitate praeferantur, seu collegia, capitula et conventus fuerint) super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ vel sine curâ, secularibus vel Ordinum huiusmodi regularibus, in singulis cathedralibus, etiam metropolitanis, collegiatis et aliis quibusvis ecclesiis (etiâ si beneficia huiusmodi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, et ipsae praebendae, in illis ex huiusmodi ecclesiis in quibus maiores vel minores praebendae esse noscuntur, etiam si ma-

iores fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eis cura imminet animarum, dummodo dignitates ipsae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores, aut² collegiatis huiusmodi principales non existant), ad eorundem collatorum et collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel divisim pertinentibus, singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personae huiusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad huiusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primarias, iidem collatores et collatrices (salvo quod singulae collationes et singulae ecclesiae ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) huiusmodi precibus et nominationibus parere et intendere, necnon personas ipsas ad huiusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisorum fuerit, iuxta earundem precum aut nominationum tenorem recipere et admittere debeant, et etiam teneantur, ita quod celsitudo tua unam et eandem personam supradictis collatoribus et collatricibus simul vel successive nominare possit;

§ 4. Ita tamen, quod, quam primum persona sic nominata de aliquo beneficio provisâ fuerit, eius nominatio quoad alios collatores vel collatrices facta ipso iure expiret; et quoad easdem preces canonicatum et praebendam, ac dignitatem seu personatum, administrationem vel officium in unâ ecclesiâ pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus; quodque quicumque, quibusvis in digni-

Conditiones huiusmodi in precum executione servandae.

¹ Aptius ut alibi legeretur simpliciter et (R. T.).

² Subintellige praep. in (R. T.).

⁴ Edit. Main. legit *etiâ si*, si (R. T.).

tatibus constituti, seu ecclesiarum cathedralium canonici singuli (videlicet in illis, quos pro singulis personis praedictis precum et nominationum huiusmodi, et ad hoc ut illae sortiantur effectum, etiam praesentium exequutores deputaveris), per se, vel alium, seu alios, beneficia praefata, cum in quibusvis etiam ordinariis collatoribus per constitutiones nostras aut litteras alternatarum aliaque privilegia et indulta quaecumque quomodolibet concessis et imposterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quae personae, pro quibus preces et nominationes huiusmodi factae fuerint, quatenus huiusmodi preces sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio huiusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda (etiamsi ipsa beneficia dispositioni apostolicae aliàs quam per constitutionem felicis recordationis Benedicti Papae XII praedecessoris nostri, quae incipit *Ad regimen*, generaliter reservata existant, et ex diversis personis vacaverint, et personae nominatae praefatae, tempore assequutionis beneficii ad quod nominatae fuerint, aliud beneficium in eadem ecclesia non¹ obtineant, ac secundum statuta et consuetudines ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi extiterint, vel indulta ecclesiis concessa, capaces, videlicet, in aetate legitimam constitutae aut de legitimo matrimonio procreatae² sint, dummodo quoad huiusmodi qualitates aliàs cum eis canonice dispensatum, et beneficia, in eadem ecclesia obtinenda, talia sint, quae sine dispensatione apostolicam insimul obtineri possint aut consueverint, ac ipsorum vacantium beneficiorum collatio non fuerit,

¹ Particula non delenda (R. T.).

² Legendum non sint, ut patet ex loco parallelo, tom. XII, pag. 473 b, et ex ratione contextus; nam perdurat vis particulae *etiamsi*, et sequitur *dummodo* (R. T.).

iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa), cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, personis ipsis, etiam duo, vel tria, seu plura, quarumcumque qualitatum³, et cuiuscumque annui valoris, ecclesiastica beneficia obtinentibus et expectantibus, conferre et assignare, necnon omnia et singula, quae, ad hoc ut precum seu nominationum et acceptationum ac collationum huiusmodi succedat effectus, opportuna fuerint, facere auctoritate nostram per censuram ecclesiasticam exequi possint et valeant; super quibus ipsis plenam et liberam, auctoritate praedictam, tenore praesentium, potestatem concedimus ac etiam facultatem: ac personis praefatis, pro quibus huiusmodi primarias preces porrigi seu nominationes fieri contigerit, quod ipsae expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibusvis⁴ beneficiis pro eis factarum gratiis et mandatis de providendo ipsis de eisdem, si quae⁵ ipsis concessa fuerint, unam cum gratiam precum et nominationum primariorum earumdem uti possint, nec, aliquam gratiarum huiusmodi consumptam⁶, reliquae earumdem cassae censeantur vel irritae, indulgemus.

§ 5. Non obstantibus nostris de non utendo gratiam expectativam ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione et publicatione et diligentibus per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem ordinariorum collatorum necnon expectativas in formam pauperum habentium, ac illustrium et graduatorum,

¹ Ita legitur in loc. parall.; ed. Main. hic legit *qualitatis* (R. T.).

² Sic legimus ex loc. parall.; male edit. Main. heic habet *quibus* (R. T.).

³ Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

⁴ Sic legitur etiam in locis parallelis; aliquis forsitan suspicaretur legendum esse *consequuta* (R. T.).

Derogatio
contrariorum.

et Sedis praefatae officialium, ac certis inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in cancellaria apostolica quaecumque publicatis et publicandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon aliis ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsitan fuerint, statutis et consuetudinibus (illis praesertim, quibus in ecclesiis, in quibus maiores et minores praebendae huiusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi maiorem praebendam assequi valeat, nisi ad¹ illam de minori gradatim et per optionem ascendat), iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque: aut² si aliquibus super provisione sibi faciendam de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litterae, etiam nostro vel eas concedentium proprio motu, aut cuiusvis³ etiam quocumque respectu et ad cuiuscumque instantiam sint concessae vel concedantur imposterum: seu⁴ si speciales de huiusmodi beneficiis, per nos vel Sedem praefatam, aut quaecumque alia⁵ (aut⁶ quamcumque nominandi et reservandi facultatem quibusvis, quacumque etiam ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, per Sedem praefatam concessarum vel concedendarum vigore reser-

¹ Praeposit. ad addimus, vide tom. XII, pagina 474 b (R. T.).

² Nempe aut non obstante si, etc.

³ Aptius forsitan legitur in loco parallelo *cuiusvis* (R. T.).

⁴ Continuat clausula non obstantibus, scilicet seu non obstante si (R. T.).

⁵ Aptius in loco parallelo citato legitur *aliae*, nempe nominationes, ut postea sequitur (R. T.).

⁶ Comma istud, quod parenthesi includo, nondum enucleare valui: legerem, ut notavi in loc. parall., aut quarumcumque... facultatum quibusvis... concessarum vel concedendarum vigore etc.; vel aliter a quamcumque nominandi et reservandi facultatem habentibus quibusvis, quacumque, etc. (R. T.).

vationum, sive earumdem facultatum obtenta¹) ad huiusmodi beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factae fuerint; quas quidem litteras (etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet processum fuerit) necnon reservationes, facultates et nominationes cum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis clausulis, quatenus praesentium effectum suspendere, impedire vel perimere, aut aliàs eisdem praesentibus quomodolibet obstere viderentur (sive ex certa scientia nostram, vel simili motu, sive aliàs sub quibusvis forma et expressione verborum, et quae fortasse totalis sui tenoris insertionem, ac illorum, quibus concessa sunt vel fuerunt, nominum et cognominum individualem expressionem praesentibus faciendam, ad hoc ut illis per easdem praesentes sufficienter derogetur, exigunt vel requirunt², et³ quae ipsis praesentibus, perinde ac si earum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur, emanaverint⁴), et mandata de providendo inde sequuta, cum processibus per ea pro tempore habitis (nisi illi, pro quibus emanaverint, ut praefertur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium numero fuerint), ad beneficia, quae precum et nominationum primariorum vigore per⁵ personas, pro quibus illae factae fuerint, acceptata, et de quibus eis provideri contigerit, minime extendi⁶; quin immo⁷ in illarum exequutione⁸ personas

¹ Videretur legendum *obtentu* (R. T.).

² Legerem exigant vel requirant (R. T.).

³ Puto partic. et omnino esse delendam (R. T.).

⁴ Male edit. Main. legit *emanaverit* (R. T.).

⁵ Praep. per nos addimus ex loc. parall. (R. T.).

⁶ Subintellige *volumus*, quod postea sequitur (R. T.).

⁷ Male in loco parall. legitur *quum immo* (R. T.).

⁸ Aptius legerem in illorum (beneficiorum) assequutione; vide loc. parall. (R. T.).

ipsas omnibus et quibuscumque, earum litterarum et expectativarum ac¹ reservationum huiusmodi vigore, et cum quibusvis antelationum² praerogativis (etiam illis, quas certis nostris familiaribus continuis commensalibus in cancellaria³ apostolica, ac aliis nostris litteris, ad effectum et aliis in assequutione beneficiorum conferendis nominatim descriptis⁴, concessimus) et cum similibus derogatoriis clausulis (quae nulli, quominus praesentium succedat effectus, suffragari debeant⁵) expectantibus, etiamsi illarum obtentu in quibusvis ecclesiis in canonicos recepti ac de numero ipsorum familiarium continuorum commensalium antiquorum fuerint, necnon gratias in communi forma pauperum habentibus, ac officialibus et illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam nostris familiaribus continuis commensalibus antiquis et descriptis et imposterum describendis (dictis cardinalibus dumtaxat exceptis) anteferri volumus; sed nullum per hoc expectantibus praefatis, quoad assequutionem beneficiorum aliorum, praedictum generari: seu⁶ si dictis collatoribus, vel collatricibus, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat

provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: et⁷ qualibet alia dictae Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis: aut⁸ si personae praefatae praesentes non fuerint ad praestanda de observandis statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint, ut praefertur, solita iuramenta, dummodo in absentia sua per procuratores idoneos, et, cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa praestent: necnon concordatis⁹ nationis Germanicae, ac⁴ eorundem concordatorum confirmatione, ac praedictis, ac quibuscumque aliis quaecumque edictis et edendis constitutionibus, et regulis nostris, et dictae cancellariae; ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam⁵, vel satisfactionem, seu observantiam, habentes preces seu nominationem huiusmodi minime teneantur, nec ipsae preces sub illis comprehendantur quoquo modo: necnon quibusvis⁶ privilegiis, indultis et litteris apostolicis, et quibusvis gratiis, expectativis, specialibus vel generalibus, etiam mentalibus⁷, reservationibus⁸, suppressionibus et extinctionibus, ac reservandi, uniendi, annectendi,

¹ Adhuc prosequitur clausula non obstante (R. T.).

² Semper subintellige aut non obstante (R. T.).

³ Subintellige non obstantibus (R. T.).

⁴ Legimus ac pro in, ex loc. parall. (R. T.).

⁵ In loco parallelo legitur ad quarum solemnitatum adstrictiorem formam (R. T.).

⁶ Adhuc subintellige non obstantibus (R. T.).

⁷ Perperam ed. Main. legit mensalibus (R. T.).

⁸ In loco parallelo additur unionibus, annexionibus et incorporationibus (R. T.).

¹ Coniunct. ac nos addimus ex loc. parall. (R. T.).

² In loc. parall. legitur cameram (R. T.).

³ Legerem: ad effectum ut aliis in assequutione beneficiorum conferendorum nominatim descriptis praefertur, ut notavi in loco parallelo, tom. XII, pag. 475 a (R. T.).

⁴ Male, ut puto, ed. Main. legit debeat (R. T.).

⁵ Continuat clausula non obstantibus, scilicet seu non obstante si (R. T.).

incorporandi, ac nominatis et aliis conferendi, commendandi, supprimendi et extinguendi, aliisque citra accessus et regressus de consensu facultatibus, litteris, mandatis et indultis quibuscumque, et¹ cum provisionibus, commendis et aliis dispositionibus ex tunc et gratiis, quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existentibus, et quacumque etiam imperiali, regali, reginali, ducali, sive episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel maiori auctoritate, praeeminentia, nobilitate et excellentia, ac etiam cardinalatus honore fulgentibus², et familiaribus continuis commensalibus nostris, etiam descriptis et antiquis, et in eorum ad³ ecclesiarum, etiam cathedralium, et metropolitanarum, ac patriarchalium, et principalium, monasteriorum, mensarum capitularium, dignitatum et aliorum beneficiorum quoruncumque, cum cura et sine cura, secularium et quorumvis Ordinum regularium, locorum opiorum, universitatum studiorum, et aliorum quoruncumque, aut in nullius⁴ favorem, aut eorum, necnon iurium cessionum⁵, vel ablatorum, aut spoliatorum, damnorum, etiam per infideles illatorum, et obsequiorum nobis Romanaeque Ecclesiae vel praefatae Sedi aut pro fide catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus et urgentissimis et insolitis necnon exprimentis causis, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione vel respectu; ac motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis antelationum praerogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, suspensionibus, ac gratiis et restitutioni-

¹ In loco parallelo legitur etiam (R. T.).

² In loco parallelo legitur fulgentibus (R. T.).

³ Legerem ac pro ad (R. T.).

⁴ In loco parallelo legitur illius (R. T.).

⁵ In loco parallelo legitur cessorum (R. T.).

bus, modificationibus, exceptionibus, et annullatiis, irritatiis, ac derogatoriis, necnon praefatam et alias quascumque concessas et concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, necnon mentis et intentionis ac perpetuae et incommutabilis voluntatis nostrae fuisse et esse de non revocando et suspendendo gratias easdem, et illis non derogando¹, quomodolibet attestantibus, et in pristinum et validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrandibus, ac per modum pacti et initi contractus ac perpetui statuti, necnon gratias ipsas ut de actu vacantibus expectare, et ex tunc vere et non fecte, etiam quoad possessionem dictorum beneficiorum ac omnes iuris et facti defectus², plenum esse sortitas effectum decernentibus et declarantibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, per nos et Sedem praefatam, aut eius legatos, in genere vel in specie, etiam nominatim, de dictis beneficiis et aliis quomodolibet emanatis; quibus (etiamsi in illis, quod illae non nisi certis modis et formis inibi expressis et nominatis, verbisque et signis inibi appositis, et omni diversarum litterarum apostolicarum expeditione et intimatione etiam diversis temporibus faciendae, ac de consensu eorum quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, et, quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, et sub quacumque data per illos quorum interesse concernebatur eligenda, concessa et facta sint et esse censeantur ac expediri possint, ac sic et non aliter³ per quoscumque iudices et personas iudicari debeat, caveatur expresse), illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac

¹ Male ed. Main. legit derogantibus (R. T.).

² Forsan legend. effectus pro defectus (R. T.).

³ Male edit. Main. legit ac si non aliter (R. T.).

de verbo ad verbum insertis, ac modos et formas huiusmodi pro individuo servatis habentes, ad effectum praesentium, omnino derogamus, et in dictis beneficiis, cum, uli praefertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vendicare¹, necnon² praesentes litteras nullatenus de subreptionis et obreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari aut impugnari posse nec debere, et sic per quoscumque tam ordinariam quam delegatam et mixtam auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari, cognosci, atque decidi debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, cognoscendi et decidendi facultate, necnon irritum et inane quidquid secus super praemissis omnibus et singulis, vel eorum aliquo, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus: ceterisque contrariis³ quibuscumque.

Transumptis
danda fides.

§ 6. Praeterea, quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca deferri, volumus, et dictam auctoritate nostram decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ubique adhibetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae
poenales.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

¹ Subintellige nullatenus posse, quod postea sequitur (R. T.).

² Vocem *decernentes* importune heic interiectam delermus (R. T.).

³ Heic demum absolvitur clausula *non obstantibus* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXVIII, XII kalendas decembris, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 20 novembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXV.

Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesias Societatis Iesu ac communionem refectis in festo sancti Francisci Xaverii, cum translatione indulgentiae, quando festum occurrit primam cum dominicam Adventus.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Alias felicitis recordationis Gregorius XV, praedecessor noster, omnibus et singulis presbyteris et clericis Societatis Iesu, ac aliis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacramentum communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus in festo sancti Francisci Xaverii devote visitassent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in litteris desuper confectis plenius dicitur contineri.

Gregorius XV
edidit constitutionem de hac materia.

§ 1. Cum autem, sicut praepositus generalis dictae Societatis nobis nuper exponi fecit, festum sancti Francisci Xaverii praedicti quandoque in dominicam primam Adventus incidat, cupiatque propterea illud in aliam nobis benevisam diem ut infra transferri:

Causae concedendi novi indulti.

§ 2. Nos, ad augendam eorum presbyterorum aliorumque utriusque sexus christifidelium devotionem et animarum salutem caelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, quotiescumque de cetero festum huiusmodi in dictam primam dominicam Adventus incidit, celebrationem festi huiusmodi in unum ex

Concessio, de qua in rubrica.

diebus infra octavam festi praedicti sancti Francisci, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, perpetuo transferimus, iisdemque presbyteris ac aliis christifidelibus praedictis, aliquam ex dictis ecclesiis Societatis huiusmodi visitantibus et praemissa peragentibus die in quam celebrationem festi huiusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis
danda fides.

§ 3. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 2 decembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXVI.

Decimae nonnullae super bonis ecclesiasticis in dominio Reipublicae Venetorum imponuntur in subsidium eiusdem reipublicae pro sumptibus belli contra Turcas¹.

Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Thessalonicensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrosanctae² militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

² Similem vide Gregorii XV, tom. XII, pag. 709 (R. T.).

nullo licet meritorum suffragio praepositi, inter graves sollicitudines quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno principibus et populis christianis nunquam non impendunt¹, nobis conciliant. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique cura incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi procul a populo christiano arceantur.

Causae imponendi decimas.

§ 1. Cum vero plus satis constet, eundem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quaerere, quam christianos populos invadere, et, christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare et propagare, eiusque vires nostris facientibus peccatis malo nostro admoniti cogamur timere, omnique cura et sollicitudine praecavere: multo magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet hoc tempore, cum ab expeditione contra christianos multis annis abstinerit, et verisimile sit; diutius non cessaturum, sed eius potius diu compressam rabiem vehementius erupturam. Quod malum nos paternam sollicitudine iam dudum metuentes pro officii nostri, debito Venetorum praecipue nobilissimam rempublicam, quae hostibus maxime exposita esse dignoscitur, non semel in Domino cohortati sumus, ne insidiarum plenam cum impiis pace, quibus non est pax, consideret, sed prudenter caveret, suasque arces, portus et loca muniret, classem et alia ad bellum necessaria compararet et parata haberet.

§ 2. Cum autem ingentes sumptus haec res postulet, Clementis VIII et Pauli V nec

Iuxta morem huiusmodi Pontificum.

¹ Aptius in loc. parall. legitur *impendunt* (R. T.).

non Gregorii XV aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eam Rempublicam, id enixe flagitantem, ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvare decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum¹, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis ac Pauli necnon Gregorii praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore ut ea Respublica, hac testatione paternae voluntatis erga se nostrae, non solum sese munitam, et pro re nata ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam ad pristinos belli spiritus resumendos contra eundem Turcarum tyrannum excitetur, ut ille christianorum armis ab Europae finibus aliquando detrudatur.

§ 3. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris, tenore praesentium, indicimus et imponimus sexdecim integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratum quoque, praepositarum, praepositatum, praeceptoriarum, canonicatum, praebendarum, dignitatum, etiam maiorum ac principalium, personatum, administrationum et

officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, secularium ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, sancti Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel alias possident, Mendicantium et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus et congregationum¹ (non tamen earum quae inferius descriptae sunt) ac militarium regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium;

§ 4. Ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum, super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis; quos cardinales et fratres hospitalis praedicti ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat, ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis, necnon ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis

Necnon super pensionibus praedictorum fructuum.

Nonnullos ab huiusmodi onere eximit.

¹ Edit. Main. legit *monimentum* (R. T.).

¹ Edit. Main. legit *congregationis* (R. T.).

similiter, fructus omnes vel illorum partem, loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolica, in toto vel in parte, reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, congregationum et militiarum praefatorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militibus, massis et locis praefatis, quacumque amplissima et firmissima exemptione et immunitate reali, personali vel mixta, antiqua et immemorabili, pacifica et continua, etiam ex titulo quantumvis oneroso, suffultis, integraliter et cum effectu numerandas persolvendas et consignandas.

§ 5. Ulterius, supradictis ex causis, ac exemplo Clementis et Pauli ac Gregorii praedecessorum praefatorum adducti, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum ad Cassinensium, alias S. Iustinae de Padua, Lateranensium, Carthusiensium, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensium, S. Mariae Vallis Umbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium, provinciae Lombardiae Cruciferorum et S. Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praepositorias, beneficia et officia, cum cura et sine cura, membra, grangias et alia loca illis annexa, in dicto dominio consistentia, quovis modo pertinentium¹ solvendas, et per ipsas congregationes, earumque² superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas (ultra subsidia Montis Religionis, seu quadringentorum millium scutorum, et quartae partis eorumdem fructuum, reddi-

Non obstantibus aliis oneribus, quibus succumbunt.

¹ Male edit. Main. legit *pertinentia* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *earumque* (R. T.).

tuum et proventuum et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita aut alias persolvunt, seu persolvere promiserunt¹) similiter numerandas et persolvendas et consignandas secundum verum annum valorem fructuum, reddituum et proventuum praefatorum. Et ad hunc effectum (licet felicis recordationis Pius Papa V, nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, necnon Paulus, ac novissime Gregorius praedecessores praefati etiam ex aliis tunc expressis causis easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in dominio Venetorum et ex quacumque causa imponendis liberas et immunes fecerint) pari motu, scientia, auctoritate, et de apostolicae potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus et proventus ad ipsas congregationes et quamlibet earum in dicto dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in forma camerae apostolicae, et iuramento vel quavis alia firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium praedecessores praefatos et cameram apostolicam et pro ea S. R. E. camerarium vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes et eiusdem camerae ministros, quantumvis ampla et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos, ex una, et congregationes ultimodictas illarumque procuratores ex altera partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causa in hunc usque diem eisdem congregationibus, etiam ex causa et titulo oneroso, concessa, hac vice dumtaxat et ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis congregatio-

Nec privilegiis contrariis.

¹ Male edit. Main. legit *permiserunt* (R. T.).

nibus, quoad novem decimas praedictas, hac vice, ut praefertur, suffragari volumus; illa vero alias in suo robore permanere decernimus; ipsasque congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis huiusmodi oneramus, et, cum ceteris secularibus ac regularibus clericis personis eiusdem domini Venetorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere ac tacitas et contentas esse volumus.

Modum solvendi decimas declarat.

§ 6. Universas vero et singulas personas quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem sibi, ut praefertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas congregationes et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et quoad ultimodictas congregationes singulas decimas cum una octava parte alterius decimae, quo ad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante octennio a die ii iunii proxime praeteriti, qua ultima concessio expirat, computando et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri et vere obligatos esse; iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas (quantumlibet exemptas, et sub quibuslibet obligationibus, etiam in forma camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo et forsitan de non impetrando gratias nostras contra eos et de non utendo concessis firmatas, aut alias vallatas, et forsitan aliis cautelis et decretis munitas) causam donationis super iisdem fructibus et pensionibus etiam medio cularum banchi seu in forma depositi

1 Partic. et nos addimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *partim* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *isdem* (R. T.).

habentibus, et intra octo annos praefatos habituris (etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri vel actioni petendae vel relinendae portionis aut rae partis pensionarios tangentis iureiurando renunciaverint) ulla privilegia, aut indulgentias, sub quacumque verborum forma, aut exemptione concepta, quoad hoc nullatenus suffragari volumus.

§ 7. Sicque et non aliter in praedictis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 8. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabiles fratres patriarcham Venetiarum et episcopum Clodiensem pro tempore existentes, ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praefatis, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim nullam interpositam moram et sine aliqua prorsus diminutione, retentione, aut detractone, etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praefatae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores per praesentes constituimus et deputamus, ac tibi et patriarchae Venetiarum ac episcopo Clodiensi, pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahendi, et illorum medietatem inter vos pro aequali portione et quolibet anno eiusdem octennii pro rata distribuendi et dividendi, reliquam vero me-

1 Male edit. Main. legit *detrachenda* (R. T.).

Clausula sublatâ.

Ministros ad exigendas decimas deputat.

diefatem subcollectoribus et aliis exactoribus ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno, pro rata, habita ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis, assignandi et distribuendi (ita tamen, ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum, pro rata quolibet anno, detrahatur, ac tam vos, ac quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores, et alii praefati, ratione fructuum ecclesiarum, quibus tunc praeesse dignoscimini aut imposterum praefici, vel beneficiorum obtentorum aut quae obtinere, necnon fructuum et pensionum reservatarum et assignatarum, quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestra et illorum rata et illorum quemlibet tangente integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictam assignationem et distributionem contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et eorum quilibet praetendere possitis) ac tibi et aliis praefatis a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis et administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur, per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisquae tam in genere quam nominatim et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque, prout nobis videbitur, poenis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi et praecipendi; ac pro earumdem decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores, qui, si in dignitate ecclesiastica constituti

1 Particula ac addimus ex loc. parall. (R. T.).

2 Ni potius legendum sit *vobis* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *moderandi* (R. T.).

sint, pari ac tu, vigore praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco tibi subiecto pro tempore deputatos, approbandi; et, si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputandos neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi; ac solvere recusantes, et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi; solventes vero de solutis quietandi et liberandi; a censuris et poenis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerunt, absolvendi; et generaliter omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et postestatem.

§ 9. Non obstantibus regulam nostram de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congregationibus et aliis personis

Obstantibus derogat.

1 Aptius in loco parall. legitur *sibi* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *et generaliter. Contradictores, etc.* (R. T.).

3 Aptius in loco. parall. legit. *incurrerint* (R. T.).

praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimae non teneantur, et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, specialiter vel generaliter², sub quacumque verborum formâ expressis, etiam³ motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

§ 10. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dedicata, ex causâ pignoris vel aliâ occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur;

§ 11. Quodque praesentium litterarum transumptis, tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

¹ Perperam edit. Main. habet circa pro certa (R. T.).

² Heic deest vox concessis (R. T.).

³ Potius lege etiamsi (R. T.).

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 decembris 1638, pontif. anno XVI.

DCXXVII.

Mandatur ecclesiasticis Urbis S. Angeli in Vado eiusque territorii, ut bona emphyteutica, quae per finitam lineam ad ipsos devolvi contigerit, proximioribus denuo in emphyteusim concedant¹.

Dilectis filiis, communitati et hominibus civitatis nostrae S. Angeli in Vado,
Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Constantis fidei et sinceræ devotionis affectus, quo nos et Romanam reveremini Ecclesiam, promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quae vestris comodo et indemnitati fore conspicimus opportuna.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes vos specialibus favoribus et gratiis prosequi, vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus directi domini ecclesiastici bona emphyteutica in civitate nostrâ S. Angeli in Vado eiusque territorio existentia, quandocumque contigerit ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu personae illi, per cuius deces-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

sum linea huiusmodi finietur, pro competentem canone, seu pensione, solutâque debitâ mercede pro laudemio, concedere, et de illis investire omnino debeant et teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus.

Clausula sublatâ.

§ 2. Sicque inviolabiliter observari, ac per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Legato de latere Urbinatensi et gubernatori S. Angeli in Vado mandat ut has litteras observari faciant.

§ 3. Quocirca dilectis filiis Status nostri Urbinatensis de latere legato, eiusve vicelegato, ac gubernatori civitatis nostrae S. Angeli in Vado, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ seu alicuius vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; non permittentes vos per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, impediri vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac, legitimis super his habendis processibus, servatâque formâ Concilii Tridentini, censuras et poenas ipsas iteratis vicibus ag-

gravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum, aliorumque locorum piorum, quomodocumque nuncupatorum, ac qualitercumque qualificatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI ianuarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 6 ianuarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXVIII.

Personae incapaces beneficiorum Ordinum militiarum sancti Iacobi de Spata, Calatrava et Alcantara, quibus per reges, ac aliâs apostolicâ auctoritate, prioratus, commendae et beneficia praedictarum militiarum conceduntur, tenentur solvere partem fructuum ipsorum prioratum, commendarum et beneficiorum, quam milites de illis provisi solvere deberent iuxta litteras

*apostolicas et statuta Ordinum praedictorum*¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Iuxta huiusmodi militiarum statuta provisum de eorum beneficiis aerario communi partem fructuum solvere debent.

Cum, sicut nobis nuper expositum fuit pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui militiarum sancti Iacobi de Spata et de Calatrava necnon de Alcantara, sub sancti Augustini et Cisterciensi respective regulis, administrator perpetuus auctoritate apostolicâ deputatus existit, ipsarum militiarum statutis seu stabilimentis, apostolicâ auctoritate confirmatis, inter alia caveatur expresse, ut quicumque, de praepreptoriis, seu commendis, prioratibus et quibusvis aliis militiarum huiusmodi beneficiis, quovis modo praeterquam per resignationem ex causâ permutationis vacantibus, pro tempore provisum, certam fructuum, reddituum et proventuum praepreptoriarum, seu commendarum, prioratum et beneficiorum huiusmodi partem communibus dictarum militiarum aerariis, ad effectum restaurandi et reparandi domos et aedificia ipsarum militiarum applicandam, solvere teneantur, et aliâ prout in felicis recordationis Sixti IV et Iulii II ac Pauli III Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris statutorum seu stabilimentorum huiusmodi confirmatoriis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius respective dicitur contineri;

Provisum cum dispensatione apostolicâ eam solvere renunt.

§ 2. Praeteritis autem temporibus per praefatum Philippum, aliosque reges catholicos eius praedecessores, ex facultate apostolicâ eis specialiter aliquando concessâ, ac etiam per nos et Romanos Pontifices nostros praedecessores ad ipsius Philippi regis et aliorum regum catholicorum eius antecessorum supplicationes

et instantiam, quamplurimae praepreptoriae seu commendae, ac prioratus, et alia beneficia huiusmodi dictarum militiarum personis incapacibus ad vitam earumdem, seu per modum superviventiae commendatarii titulati ad certum tempus, ac etiam pro determinatis pecuniarum summis pluribus annis exigendis, et forsitan aliis modis, concessa fuerint; incapaces vero; quibus concessionem huiusmodi factae fuerunt, partes fructuum, reddituum et proventuum praepreptoriarum, seu commendarum, prioratum et beneficiorum huiusmodi sibi, ut praefertur, concessorum, iuxta militiarum huiusmodi statuta seu stabilimenta praedicta persolvendas, solvere recusent:

§ 3. Nobis propterea Philippus rex et militiae huiusmodi supplicari fecerunt, ut in praemissis earumdem militiarum indemnitati opportune consulere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Philippus rex remedium flagit.

§ 4. Nos igitur, attendentes non esse rationi consentaneum, ut incapaces huiusmodi melioris conditionis, quam ipsi dictarum militiarum milites capaces existant, et eundem Philippum regem dictarumque militiarum milites specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas personas quantumlibet et ex quibusvis causis etiam multiplicibus incapaces, etiam infantes, pupillos et mulieres, etiam pro subventionibus dotalibus, quibus praepreptoriae seu commendae ac prioratus et alia quaecumque beneficia militiarum

Urbanus declarat, prout in rubricâ.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

huiusmodi modis praedictis hucusque concessa fuerunt ut praefertur, vel aliâ quomodolibet etiam pro ratâ fructuum et pensionum super eis quomodolibet sibi reservatorum, ad solvendum partes fructuum, reddituum et proventuum ipsarum praepreptoriarum, seu commendarum, ac prioratum et beneficiorum, quas fratres milites capaces de eisdem praepreptoriis seu commendis ac prioratibus et aliis beneficiis provisum solvere deberent, iuxta earumdem litterarum apostolicarum ac uniuscuiusque praedictarum militiarum statuta seu stabilimenta auctoritate apostolicâ ut praefertur confirmata, respective teneri, et ad id opportunè iuris et facti remediis cogi et compelli posse, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulae.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis concessionibus de praepreptoriis seu commendis militiarum huiusmodi personis praedictis factis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ipsarum militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem personis et eorum cuilibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores

praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 15 ianuarii 1639, pontif. anno xvi.

DCXXIX.

*Extensio subsidii pro civitate Pisana eiusque districtu ab ecclesiasticis solvendi ad aliud decennium*¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliâ [felicis recordationis Pauli Papae V praedecessori nostro pro parte bonae memoriae Cosmi Medices, Hetruriae sibi subiectae dum vixit magni ducis, exposito, quod (cum pridem bonae etiam memoriae Ascanius episcopus Anglonensis, tunc apud bonae similiter memoriae Ferdinandum dicti Cosmi magni ducis genitorem et Hetruriae sibi subiectae similiter magnum ducem Sedis Apostolicae nuncius, cognovisset facultates laicorum expensis necessariis seu utilibus aggerum, fossatorum, viarum, aquaeductuum et aquarum diversorum per officiales seu deputatos ad officium fossatorum civitatis Pisanarum in districtu, territorio et comitatu dictae civitatis faciendis non sufficere) clerum, tam secularem quam regularem, personasque ecclesiasticas exemptas, et milites militiae sancti Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, districtu et comitatu Pisanis possessorum, subsidium dictis expensis ad decennium tunc proximum conferre posse et debere, aucto-

Paulus V a clero Pisano subsidium pro publicis expensis praestari concessit et postea ad decennium prorogavit.

¹ Ex regest. in Secret. Brev.

ritate apostolicâ sibi ad id specialiter delegatâ, concesserat et declaraverat; voluerat tamen et decreverat clerum, ecclesiasticas personas, et milites praefatos ad aliquas expensas ministrorum dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo teneri, et aliâs, prout latius in dicto decreto dicebatur contineri; et in eadem expositione subiuncto praefatorum fossatorum officium, propter expensas necessarias et utiles eatenus factas, grave aes alienum ad summam scutorum triginta millium ascendens contraxisse, novasque expensas in dies cogi facere] idem Paulus praedecessor, supplicationibus dicti Cosmi magni ducis eâ in parte inclinatus, quod clerus tam secularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae etiam exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione honorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii praescriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi eodem decennio durante liberâ et tutâ conscientiâ exigere possent, omnesque de clero tam seculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione honorum, ut praefertur, per eos et quemlibet eorum possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valerent, dictâ auctoritate concessit et decrevit: subinde vero decennium ab eo concessum huiusmodi ad aliud decennium a fine ipsius concessi decennii computandum extendit et prorogavit, seu de novo concessit, prout in eiusdem Pauli praedecessoris desuper in simili formâ Brevis sub die XXI augusti MDXC¹ et die X octobris MDCXIX² expeditis litteris, quarum

¹ Quas vide in tom. XI, pag. 631 (R. T.).

² Secundae litterae desunt (R. T.).

tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Et postmodum, pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Hetruriae sibi subiectae magni ducis nobis exposito, quod causae, propter quas praemissa concessa et decreta fuerant, etiam tunc vigeant, et propterea decennium ultimo loco concessum huiusmodi ad aliud nobis benevisum tempus extendi et ampliari summopere desiderabat:

§ 3. Nos, Ferdinandi magni ducis huiusmodi supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod clerus tam secularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione honorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium a fine decennii ultimo loco concessi huiusmodi computandum, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii descriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi decennio per nos concessio durante liberâ et tutâ conscientiâ exigere possent, omnesque de clero tam seculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione honorum per eos, ut praefertur, et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valerent, auctoritate praedictâ similiter concessimus et decrevimus.

§ 4. Volumus² autem, quod, iuxta dicti decreti tenorem, clerus, ecclesiasticaeque personae et milites praedicti ad aliquas expensas ministris dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo tenerentur; quodque exactio subsidii praedicti per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisani eius-

Urbanus illud extendit ad aliud decennium.

Nonnullasque adiecerat leges ipsis ecclesiasticis favorabiles.

¹ Paulo ante legitur *liberâ* (R. T.).

² Legendum *Voluimus* (R. T.).

que curiae tantum apostolicâ auctoritate fieret, et dictis officialibus seu deputatis consignaretur; qui quidem officiales seu deputati, eorumque ministri, libros rationum et computorum dicto vicario, ac archidiacono ecclesiae Pisanae, nec non priori domus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Pisarum similiter pro tempore existenti, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper esset dictus prior, exhibere tenerentur; ex quibus subsidium, per dictos clerum et alios ut supra contribuendum, dignosci, comprehendique posset, pro exactione contra eos ut praefertur faciendâ, prout pariter in nostris in eadem formâ Brevis sub die III februarii MDCXXIX desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur¹.

§ 5. Cum autem, sicut idem Ferdinandus magnus dux nobis nuper exponi fecit, causae, propter quas praemissa concessa et decreta sunt, de praesenti etiam vigeant, et propterea decennium ultimo loco concessum huiusmodi, cuius finis, ut asserit, instat, ad aliud nobis benevisum tempus extendi et ampliari summopere desideret:

§ 6. Nos, eiusdem Ferdinandi magni ducis huiusmodi supplicationibus nobis denuo super hoc humiliter porrectis inclinati, quod clerus tam secularis quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione honorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium a fine decennii ultimo loco per nos concessi huiusmodi computandum, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii descriptis, et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praedicti subsi-

dium huiusmodi decennio per praesentes concessio durante liberâ et tutâ conscientiâ exigere possint, omnesque de clero tam seculari quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione honorum per eos ut praefertur et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valeant, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, similiter concedimus et decernimus.

¹ Iste Urbani litterae desunt (R. T.).

§ 7. Volumus autem, quod, iuxta dicti decreti tenorem, clerus, ecclesiasticaeque personae, et milites praedicti ad aliquas expensas ministris dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo teneantur; quodque exactio subsidii praefati per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisani eiusque curiae tantum apostolicâ auctoritate fiat, et dictis officialibus, seu deputatis, consignetur; qui quidem officiales seu deputati, eorumque ministri, libros rationum et computorum dicto vicario, et archidiacono ecclesiae Pisanae, necnon priori domus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Pisarum similiter pro tempore existenti, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper sit dictus prior, exhibere teneantur, ex quibus subsidium per dictos clerum et alios ut supra contribuendum dignosci comprehendique possit, pro exactione contra eos ut praefertur faciendâ.

§ 8. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 28 ianuarii 1639, pontif. anno XVI.

¹ Paulo ante legitur *liberâ* (R. T.).

Lataeque renovat leges.

DCXXX.

Cavetur, ne quis quidquam dare seu promittere possit cuivis personae ad effectum consequendi affictus et subaffictus vallium Comaclensium aut alicuius illarum¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum conductorum vallium Comaclensium nobis expositum fuit, quod (licet aliis nos in novissimo earumdem vallium affictu mandaverimus, ut unicae dumtaxat illarum partis² cuivis ex subconductoribus dari, quodque commodum et utilitas portionum subconductorum huiusmodi nec dari nec promitti cuiquam etiam civi Comaclensi respective possent, sub amissionis portionum huiusmodi subconductoribus, conductoribus autem quingentorum scutorum, et aliis etiam corporalibus poenis arbitrio pro tempore existentis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis in civitate et Statu nostris Ferrariensibus nostri et Sedis Apostolicae de latere legati infligendis) nihilominus ipsi conductores continuo a diversis etiam auctoritate polentibus personis coguntur dare, concedere et promittere dictas portiones personis suppositis et fictis, quae illarum lucra aliis participant, aut illas per alios exercent, vel emendicatis, emptitiisque favoribus ipsos conductores ad portiones praedictas subducendas adstringi curant, sublatâ hisce artibus libertate ipsis conductoribus portiones ipsas personis habilibus, benemeritis et dignis iuxta formam capitulorum affictus huiusmodi sublocandi, vel aliis conductores praedicti contra capitula praedicta et eorum voluntatem et arbitrium facere compelluntur: nobis propterea dicti exponentes

¹ Ex regist. in Secret. Brev.

² Videretur legendum partes (R. T.).

humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium indemnitati, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsosque specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, ac edictum aliis a dilecto filio nostro Francisco tituli S. Marcelli presbytero cardinale S. Marcelli nuncupato, tunc in eisdem civitate et Statu nostro et Sedis Apostolicae de latere legato, desuper publicatum innovantes, huiusmodi supplicationibus inclinati: quod de cetero nullus (cuiuscumque status, gradus, officii, dignitatis, praeeminentiae seu conditionis existat, etiamsi de illo specialis, specifica et individua mentio aut expressio habenda foret, aut sub generali verborum expressione non veniret, nec venire, minusque comprehendendi praetenderetur) per se vel alios, mediate vel immediate, quomodocumque, directe vel indirecte, remotis interpretatione et praetextu quibuscumque, quamlibet pecuniarum summam aut aliud quodcumque, ad effectum affictus et subaffictus participationes, lucra aut interesse dictarum vallium aut alicuius illarum in toto vel in parte consequendi, dare, donare, cedere, concedere, remittere, promittere, capere seu recipere¹, dare seu recipere, intentionem vel promissionem dandi, minusque obtinendi seu interponendi favores, auctoritatem, preces vel minas, aut

¹ Comma istud capere seu recipere ex abundanti esse videtur (R. T.).

Prohibitio, de qua in rubrica.

quomodolibet praedictis rebus, obtentis et factis per viam donationis, promissionis, remunerationis, donationis, aut receptionis, per se vel alios, ut praefertur, uti, comprehensis etiam promissionibus et rebus, quibus supra, vel in illis portionibus aut illarum partibus suppositas personas ponere, vel curare, procurare aut cooperari ut ponantur, audeat seu praesumat, minusque suppositas personas huiusmodi¹, etiam sub excommunicationis latae sententiae, ultra concessionis et contractus desuper celebrandorum nullitatem, poenâ, ipso facto nêdum a praedictis, ac eorum singulis, sed etiam ab omnibus mediatoribus, promotoribus, sollicitatoribus et quibusvis aliis in praemissis mediantibus promissione et aliis modis supradictis intervenientibus, ac consilium, operam vel favorem etiam orêtenus praestantibus, incurrendâ, a qua absolutionem nobis et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus semper et dumtaxat, praeterquam tamen in articulo mortis, reservamus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Contra dantes, promittentes, etc. procedi potest etiam unico teste adhibito.

§ 3. Et insuper volumus et expresse declaramus, quod tam contra dantes seu promittentes, quam recipientes, et mediatore, necnon contra ipsos conductores, et quosvis alios praemissis contravenientes, per viam accusationis, inquisitionis et alio quovis modo procedi, et accusatoris et unius testis aut etiam unici testis dicto quacumque aliâ praesumptione seu verisimilitudine coadiuvato stari debeat;

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, qua-

¹ Comma istud manet inabsolutum (R. T.).

vis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis instrumentis, promissionibus et aliis desuper quomodolibet factis et faciendis, ac, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

§ 6. Ut autem praemissa ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentes litterae in praedictis Ferrariensi et Comaclensi civitatibus, ut moris est in similibus, publicentur et affigantur; quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt, ad illarum observantiam perinde arctent et afficiant, ac si eisdem personaliter intimatae fuissent.

Præsentium faciendâ publicatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 3 februarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXI.

Mandat nonnullis episcopis Galliae, ut intra triennium nonnullos archiepiscopos et episcopos eiusdem regni, in eorum vita et moribus reprehensibiles, moneant ut resipiscant¹.

Venerabilibus fratribus Ebroicensi, Sagionsi, Silvanectensi, Carnotensi et Meldensi episcopis, et eorum cuilibet,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus,

Causas refert nonnulli s. Galliae episcopos admonendi.

¹ Ex regist. in Secret. Brev.

nonnullos archiepiscopos et episcopos Galliae (qui conditionis suae parum memores non iis, qui ecclesiarum praesules decent, moribus vivant¹, eaque propter reprehensione et correctione indigeant²) necesse sit redarguere et monere, ut, tanquam veri animarum christifidelium pastores, ovibus suis se bonorum, non autem malorum operum exemplum praebant: nos (attendentes quam grave detrimentum salutis gregis dominici inferatur, si illi, qui sunt lux mundi, iis, quibus in omni virtute praelucere deberent, ut non decet vivendo, scandali materiam et occasionem tribuant delinquendi) archiepiscopos et episcopos praedictos pro pastoralis nostri munere officii sui admonendos esse duximus.

^{Idque nonnullis aliis committit episcopis.} § 2. Supplicationibus itaque eiusdem Ludovici regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, infra triennium proximum illos archiepiscopos et episcopos Galliae, quos dictus Ludovicus rex vobis indicaverit, serio ex parte nostrâ moneatis, ut vitam et mores suos episcopali dignitati curaque pastoralis minus congruentes mutant et corrigant, seque non solum propriorum, sed et eorum, quae populi pravo ipsorum exemplo commiserint, peccatorum reos in districto Dei iudicio futuros meminerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v februarii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 5 februarii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXII.

Contra ambientes dignitates et officia Ordinis sancti Hieronymi congregationis Fesulanae.

¹ Potius lege vivunt (R. T.).

² Pariter legendum indigent (R. T.).

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est, ut religiosi viri (quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus potius promereri quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet) mendicatis secularium praesertim personarum studiis ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesiâ Dei perniciis adferri solet: nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus ut ecclesiastica regularisque disciplina pristino candori restitatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Ordine sancti Hieronymi congregationis Fesulanae, professionis et regulae, quam professi sunt, penitus immemores, nimiam dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dictâ Congregatione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis ecclesiasticorum et secularium principum studia requirant, et a S. R. E. cardinalibus, aliisque praelatis, commendatitias litteras, aliosque favores et gratias propterea expetant, quibus adiuti quos ipsi ex se promeruisse minus confidunt gradus et dignitates in eadem Congregatione consequi valeant, sicque eiusdem congregationis quietem, non sine animarum suarum periculo, perturbant¹:

§ 2. Nos, malum hoc ab eodem Ordine et Congregatione, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostrâ pastoralis sollicitudine propel-

¹ Aptius legeretur perturbent (R. T.).

pellere summopere cupientes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, eos omnes et singulos fratres dicti Ordinis et Congregationis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de cetero, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia dicti Ordinis et Congregationis assequenda intenti, ad principum et praelatorum et aliarum quarumcumque personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, ac quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali et ducali fulgentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, aut etiam sponte oblatis et minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia gradusque, honores, administrationes et munera in ipsâ Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, ac privatos, voce tam activâ quam passivâ carere decernimus et declaramus, atque in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dicti Ordinis et Congregationis fratribus, superioribusque et praelatis, quocumque titulo munitis, etiam priori generali, praesentibusque¹ et futuris, praecipimus, districteque mandamus,

¹ Simpliciter lege praesentibus (R. T.).

ne quempiam ullo tempore precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliâ instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem principum, vel praelatorum, aut aliorum quorumcumque, tam secularium quam ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam cardinalium, imperatoris, regum, ducum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia praedictae Congregationis promoveri, vel poenas aliquas remittere audeant vel praesumant.

§ 3. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, seu prioratus, vel officia dicti Ordinis et Congregationis contra praesentium dispositionem (quod absit) quodocumque faciendas, et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, nullisque viribus subsistere: ac omnes et singulos in praemissis delinquentes, nullâ aliâ monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere, et, ad illos sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum, solas praemissarum personarum instantias, preces et favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et insufficientem in iudicio et extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in provincialibus et synodalibus

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

DCXXXIII.

Facultas cardinali ab Auria archiepiscopo Panormitano¹ conceditur quodam vectigal ecclesiasticis secularibus et regularibus suae dioecesis imponendi pro dissolvendo aere alieno eiusdem civitatis².

Dilecto filio nostro Ioannettino tituli sancti Petri in Monte Aureo, presbytero cardinali ab Auria nuncupato, ecclesiae Panormitanae ex concessione apostolicâ praesuli,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliâs a nobis emanarunt litterae circumspectioni tuae directae tenoris sequentis, videlicet:

A tergo: dilecto filio nostro Ioannettino, tituli S. Petri in Monte Aureo presbytero cardinali ab Auria nuncupato, ecclesiae Panormitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli; *intus vero*: Urbanus Papa VIII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Circumspectionis³ tuae, ac dilectorum filiorum senatus, necnon syndici et procuratoris generalis civitatis Panormi nominibus apostolatui nostro nuper expositum fuit, quod, ultra maximam pecuniae summam iam plurimum sex⁴ millium, in qua senatus ac syndicus et procurator praedicti diversis personis tam laicis quam ecclesiasticis obligati reperiebantur, aliud gravissimum aes alienum summam sexcentorum millium scutorum excedens, ob servitia inibi de annis MDCXXIV, MDCXXV et MDCXXVI pestiferae contagionis praestita, contraxerunt: in cuius dissolutionem quum, excogitatis diversis remediis, variis-

¹ De quo vide supra pag. 547 (R. T.).

² Ex Regest. in Secret. Brev.

³ Male ed. Main. legit *Circumspectioni* (R. T.).

⁴ Puto *scutorum* legendum esse pro *sex* (R. T.).

Robert litteras aliâs a se datas, quibus novum vectigal etiam ab ecclesiasticis solvi, ipsis assentientibus, promiserat.

que desuper initis rationibus, omnem eorum operam studiumque contulissent, nec opportuniori efficaciorique aeris alieni huiusmodi extinctionem quam infrascripto modo fieri comperissent; convocato habitoque super praemissis novo consilio, unam gabellam trigintasex tarenorum monetae illarum partium pro quolibet dolio vini in ipsam civitatem quomodolibet introducendi, ac ab incolis et habitatoribus dictae civitatis et circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi seu consumendi, ad summam nonaginta circiter millium scutorum eorum amplius annuatim ascendentem, et exigendam a die approbationis sive confirmationis novi consilii huiusmodi per proregem Siciliae sive eius ministros faciendae¹, imposuerunt; in qua quidem impositione senatus ac syndicus et procurator praedicti personas ecclesiasticas nullo modo comprehendendi a nobis et hac Sanctâ Sede facultas concederetur iuxta sacrorum canonum dispositionem, remanentibus in hoc casu personis ecclesiasticis praefatis liberis, immunibusque et exemptis pro quantitate vini, quam pro suis et familiarum suarum usibus consumerent; et huius exemptionis sive immunitatis solutio sive satisfactio personis ecclesiasticis praedictis per eosdem senatum ac syndicum et procuratorem fieret et fieri deberet modo et formâ in exemptione gabellarum farinae et carnis uti solitis. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut non minus ecclesiasticorum quam laicorum communi saluti consuleretur, postremum aes alienum huiusmodi ex causâ pestis, ut praefertur, contractum fuerit, et eius dissolutioni laicorum facultates nullo modo suppetant; et propterea sena-

¹ Male edit. Main. legit *faciendum* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *senatus* (R. T.).

tus ac syndicus et procurator praedicti etiam personas ecclesiasticas ad eiusdem gabellae solutionem auctoritate nostrâ teneri summopere desiderent; nobisque etiam illorum nomine supplicari fecerint, ut, personarum civitatis et circuitus praedictorum miserias atque calamitates commiserantes, in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, eximiorum circumspectionis tuae in nos et hanc Sanctam Sedem fidei et devotionis meritum, necnon peculiaris, quo gregem tibi commissum prosequeris, charitatis affectus condignam rationem habentes, ipsosque senatum, syndicum et procuratorem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus circumspectionis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut, constituto tibi de narratis, et dummodo in primis et ante omnia ad id cleri¹ tam secularis quam regularis eiusdem civitatis et circuitus accedat assensus, personas ecclesiasticas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis regulares, utriusque sexus, civitatis eiusque circuitus per unum milliare circumcirca ad solutionem dictae gabellae triginta sex tarenorum pro quolibet dolio vini, ut praefertur, ad octo annos proximos duxtaxat a dicto die approbationis sive confirmationis novi consilii huiusmodi computandos, et non ultra, teneri et obligatos esse

¹ Male edit. Main. legit *clericos tam seculares quam regulares* (R. T.).

auctoritate nostrâ decernas; eâ tamen lege et conditione, ut senatus et syndicus et procurator praefati quotannis realiter et cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importabit gabella pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consumunt et consumere solent; quodque omne illud, quod ex dictâ gabellâ, deducto eo quod restituendum erit ecclesiasticis, ut praefertur, percipietur, omnino cedat et insumatur in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis¹ contractorum, et non in alios usus, alioquin, in eventum contradictionis praemissorum vel alicuius eorum, praesens gratia nulla sit eo ipso; necnon quoscumque ecclesiasticos praedictos solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis, iuxta praesentium litterarum continentiam et tenorem, et non aliâs, auctoritate nostrâ cogas. Decernentes etiam praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, et in universalibus, provincialibusque ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum civitatis eiusque districtus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et locis piis, eorumque personis,

¹ Improbe edit. Main. legit *postea pro pestis* (R. T.).

sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvi augusti mdcxxxiv, pontificatus nostri anno xii.

§ 2. Cum autem, sicut eiusdem circumspeditionis tuae ac senatus necnon syndici et procuratoris generalis praedictorum nominibus nobis nuper expositum fuit, dicta gabella triginta sex tarenorum pro quolibet dolio vini in dictam civitatem Panormitanam quomodolibet introducendi, ac ab incolis et habitatoribus dictae civitatis et circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi seu consumendi, imposita, ut praefertur, dissolutioni tam gravis aeris alieni ac interusurii, quod eius ratione solutum fuit et etiam nunc solvitur, non suffecerit, ipsique senatus et syndicus ac procurator (civitate praedictâ aere alieno, alias ob causas urgentes et necessarias contracto, nec non aliarum gabellarum, quas laici non solum pro vino, carne et farinâ, verum etiam super nive¹ aliisque cibariis solvunt, impositionibus gravatâ) primodictum aes alienum dissolvere non potuerint²; mensa nummularia dictae civitatis, magno civium eius, maiorisque partis incolarum regni Siciliae tam laicorum quam ecclesiasticorum detrimento, defecit. Senatus vero, syndicus et procurator praedicti mensam nummulariam huiusmodi in pristinum statum restituere cupientes, ut illius creditores

¹ Vide quid legendum pro *nive* (R. T.).

² Edit. Main. legit *potuerit* (R. R.).

Quod tamen cum pro dissolvendo alieno aere impar sit;

summas sibi debitas realiter et in pecuniâ numeratâ consequerentur, adhibitis propterea variis diligentis, tandem convocato die xiii februarii mdcxxxviii proximi praeteriti publico consilio, aliam gabellam duorum scutorum, praeter supradictam triginta sex tarenorum, seu trium scutorum similium, quae ad praesens solvitur, ita ut in totum quinque scuta solvantur pro quolibet dolio vini in dictam civitatem quomodolibet introducendi, ac ab incolis et habitatoribus dictae civitatis et circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi seu consumendi, abolitâ et extinctâ aliâ gabellâ viginti trium tarenorum et granorum decem pro quolibet dolio vini aliunde quam ex territoriis dictae civitatis introducendi, imposuerunt. In qua quidem impositione senatus ac syndicus et procurator praedicti personas ecclesiasticas nullo modo comprehenderunt, nisi eisdem senatui et syndico et procuratori easdem personas comprehendendi a nobis et Sede praedictâ facultas concederetur iuxta sacrorum canonum dispositionem, remanentibus in hoc casu personis ecclesiasticis praedictis liberis, immunibus et exemptis pro quantitate vini, quam pro suis et familiarum suarum usibus consumerent, etiam huius exemptionis sive immunitatis solutio seu satisfactio personis ecclesiasticis praedictis per eosdem senatum et syndicum et procuratorem fieret et fieri deberet modo et formâ in exemptione gabellarum farinae et carnis.

Illudque ab ecclesiasticis quoque solvi debere petit.

§ 3. Cumque, sicut eadem expositio subiungebat, facultates laicorum dissolutioni aeris alieni huiusmodi ex causâ pestis, ut praefertur, contracti non suppetant; et propterea senatus et syndicus et procurator praedicti etiam personas ecclesiasticas ad dictae duorum scutorum gabellae solutionem auctoritate nostrâ teneri summonere desiderant; nobisque etiam illorum

nomine denuo humiliter supplicari feceris, ut praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

§ 4. Nos, eximiorum circumspeditionis tuae in nos et Sanctam Sedem praedictam fidei et devotionis meritorum, necnon peculiaris, quo gregem tibi commissum prosequeris, affectus condignam rationem habentes, ipsosque senatum et syndicum et procuratorem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspeditioni tuae per praesentes iniungimus, ut, constituto tibi de narratis, quodque conditiones in praesentibus nostris litteris appositae, praesertim circa insumptionem totius illius, quod ex praedictâ triginta sex tarenorum gabellâ, deducto eo quod restituendum erat ecclesiasticis, ut praefertur, perceptum fuit, in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis contractorum, adimpletae fuerint, ac quod senatus ac syndicus et procurator praedicti quotannis realiter et cum effectu restituerint seu remiserint personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importavit dicta gabella pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consumpserunt, et dummodo in primis et ante omnia ad id cleri tam secularis quam regularis eiusdem civitatis et circuitus accedat assensus, personas ecclesiasticas tam seculares quam cuiusvis Ordinis regulares, utriusque sexus, dictae civitatis eiusque circuitus per unum milliare circumcirca ad solutionem

Urbanus facultates necessarias cardinali ab Aeria concedit augmentum huiusmodi etiam ecclesiastici imponendi.

Adhibitis tamen conditionibus, quae hic recensentur.

dictae gabellae duorum scutorum pro quolibet dolio vini, ut praefertur, ad octo annos proximos dumtaxat a die XVIII praedicti mensis februarii anni MDCXXXVIII proximi praeteriti computandos, et non ultra, teneri et obligatos esse auctoritate nostrâ decernas; eâ tamen lege et conditione, ut senatus et syndicus et procurator praedicti quotannis realiter et cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem quam importabit dicta gabella duorum scutorum pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consument et consumere solent, quodque omne illud quod ex praedictâ gabellâ duorum scutorum, deducto eo quod restituendum erit ecclesiasticis, ut praefertur, percipietur, omnino cedat et insumatur in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis contractorum, et non in alios usus; alioquin, in eventum contraventionis praemissorum, vel alicuius eorum, praesens gratia nulla sit eo ipso; necnon quoscumque ecclesiasticos praedictos solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis, iuxta praesentium litterarum contentiam et tenorem, et non aliâs, auctoritate praedictâ cogas;

§ 5. Ac senatum et syndicum et procuratorem praedictos, eorumque officiales et ministros, et eorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet, eo quod gabellam duorum scutorum, ut praefertur, impositam, etiam ab ecclesiis et ecclesiasticis personis dictae civitatis eiusque districtus, antequam nostra et dictae Apostolicae Sedis licentia desuper accederet, exegerunt, seu exigi fecerunt, respective incursis, impositâ ipsis arbitrio tuo poenitentia salutari, eâdem auctoritate absolvas et totaliter liberes, dictasque

poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

§ 6. Decernentes etiam praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus omnibus illis, quae in praesentis litteris nostris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 martii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXIV.

Moniales reformatae sanctae Mariae Aegyptiacae Neapolitanae iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis nuncii apostolici subiiciuntur¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae moniales reformatae monasterii monialium S. Mariae Aegyptiacae Neapolitanae, sanctae Clarae seu alterius Ordinis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsae iurisdictioni dilecti filii nostri et Sedis Apostolicae in regno Neapolis pro tempore existentis nuncii, prout antequam reformationem amplecterentur suberant, subesse, sibi propterea in praemissis opportune ut infra providere summopere desiderent:

§ 2. Nos, easdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et inter-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Clausulas ap-
ponit.

Derogat ob-
stantibus.

Expositio mo-
nialium.

Quas Pontifex
subiicit iurisdic-
tioni nuncii
pro tempore.

dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, moniales reformatas S. Mariae Aegyptiacae Neapolitanae praefatas iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis in eodem regno nuncii apostolici, prout aliae moniales S. Mariae Aegyptiacae non reformatae subiiciuntur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, subiicimus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indullis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 22 martii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXV.

Confirmatio capitulorum camerae apostolicae anno MDLXII editorum et a Pio IV confirmatorum pro felici et
Bull. Rom. — Vol. XIV. 89

celeri mercium per Tyberim in Urbem subvectione¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis ad ubertatem in almâ Urbe nostrâ conservandam et augendam, ac pro facili et celeri mercium per Tyberim in eandem Urbem aditum et subvectione, aliâs de anno MDLXII fuerint in camerâ apostolicâ facta et edita nonnulla capitula, seu decreta et ordinationes, quae et quas etiam mercatores ripales acceptarunt, perpetuo inviolabiliter observanda et observandas, quae etiam per felicitis recordationis Pium Papam IV praedecessorem nostrum confirmata fuerunt:

§ 1. Nihilominus, quoniam, ut accepimus, circa illa et illas multi irrepserunt abusus et inobservantiae; idcirco, ut illi et illae e medio tollantur, dictaque capitula seu decreta et ordinationes inconcusse serventur providere volentes, etiamsi ad praesens ecclesiae Ostiensis et Veliternensis pastoris solatio destitutae sint, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eadem capitula, decreta et ordinationes, in calce praesentium nostrarum litterarum inserta et insertas, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adii-cimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, eademque capitula, ordinationes seu decreta adversus quemcumque non usum, seu abusum, ac contrariam abrogationem quamcumque quavis auctoritate factam, reponimus et restituimus, illaque, quatenus foret opus, innovamus, perpetuisque futuris temporibus a quibuscumque ministris et officialibus dictae camerae, ac

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Prooemium
ab ipsa materia
sumptum.

Confirmatio
decretorum, ut
in rubr. ca. in
calce praesen-
tium litterarum
relatorum.